



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Capvt Primvm. De Iurepatronatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

sponere. Lott. *cit. q. 10. n. 14.* citans Jason. *l. 3. conf. 75. num. 8.*) erexit, dotavit &c. beneficium. Lott. *ibid. n. 12. & seq.* Corra. *l. 4. c. 2. n. 22.* Pirh. *n. 3.* Barb. *n. 14.* citans Abb. *in c. dilectus. hoc tit. n. 4.* Mandof. *ad reg. 1. Cancell. q. 10. n. 7. &c.* Etsi enim ex eo solum, quod, qui erexit beneficium, esset persona Ecclesiastica, & simul obtineret redditus Ecclesiasticos, rectè præsumatur, quidquid in hanc erectionem impensum est, processisse ex bonis Ecclesiasticis, adeoque videatur sufficienter concludi ad ecclesiasticitatem talis patronatus, Gloss. Archid. Præpos. Abb. *in c. Apostolicos. Lamb. loc. cit. n. 7. &c.* vide etiam Corra. *loc. cit. nu. 45. & seq.* nihilominus admittitur probatio contra dictam præsumptionem, & hæc per eam profligari potest. Lott. *loc. cit. à n. 9.* Quin & Garc. *p. 5. c. 1. n. 594.* juxta decisionem, ut ait, Rotæ; dum jus patronatus à Clerico beneficiato, qui capellam fundavit, relictum est suis hæredibus aut consanguineis ex eo, quod illis relictum in fundatione, & hierant in quasi possessione præsentandi, præsumi, fundatum ex bonis patrimonialibus, cum aliis non posset illis relinqui, nec fuissent admissi ad præsentandum. Mandof. *tit. de derog. jurispr. verb. quarto. Gonz. Gl. 18. n. 107.* apud eundem Garc.

3. Secundò: si Clericus laicis fundatoribus successerit, Barb. *loc. cit. Corrad. loc. cit. nu. 58. & 54.* in fine.

4. Tertio: dum Clericus ex bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ seu ex beneficiorum suorum redditibus fundat capellam, relinquendo & nominando patronos hæredes suos vel consanguineos, jus patronatus erit adhuc laicale; ubi consuetudo est, Clericos de talibus bonis posse testari & disponere, & in iis ab intestato succedi, sicut in patrimonialibus. Garc. *cit. n. 594.* ubi etiam, quod si in dicto casu talis clericus de jure, nihil disponat, spectet adhuc ad hæredes; secus est, ubi Clerici testari non possunt de istiusmodi bonis; tunc enim patronatus pertinebit ad Ecclesiam, & sic ad successores in beneficio vel dignitate fundantis: nec potest talis fundans sibi ut privato aut consanguineis, aut aliis id applicare. Garc. *ibid.*

5. Quarto: idem dicendum de episcopis habentibus indultum & facultatem testandi à Papa, fundantibus juspatron, ex bonis acquisitis ex Episcopatu, illudque relinquentibus suis consanguineis, vel aliis laicis bene visis juxta Garc. *loc. cit. n. 595.* Lott. *l. 2. q. 10. n. 2.* nimirum illud esse laicale, eò quod jam talia bona per dictum indultum Pontificium, quo conceditur potestas de iis disponendi tam inter vivos, quam in ultima voluntate, effecta jam sint de patrimonio ipsius Episcopi seu Prælati. Lott. *ibid.* Et quidem de jure communi est laicale, dicto privilegio seu indulto cadente solum seu extendente se super removendo impedimento juris positivi, quo inhibetur libera dispositio de talibus bonis, & non super acquirendo jure patronatus; hoc siquidem sublato impedimento, indultarius ea liberè impendit, in quem usum maluerit, adeoque dum ea impendit in fundationem beneficii & acquirendum juspatron. id facit liberè; non secus, ac dum Ordinario impedito conferre propter reservationes Apostolicas conceditur, ut illis non obstantibus conferat, privilegium cadit super remotione impedimenti, non super actu collationis secutura; sed hæc dicitur Ordinaria; sicut si ligato pedibus solvantur vincula, beneficium dissolutionis consummatur in dissolutione vinculo-

rum; actus autem sequentis ambulationis est actus hominis liberi, distinctus ab illo beneficio. Lott. *à num. 34.* imò dum testari non possunt Episcopi, fundant tamen aut dotant inter vivos capellam vel beneficium, solere illos, uti sæpe fit in Hispania, juspatron. relinquere suis consanguineis, absque eo, quod ecclesia seu successor in episcopatu, vel Camera Apostolica, ad quam bona relictæ spectant, in eo succedant, aut se intromittant: adeoque stante hac consuetudine etiam illud juspatron. consanguineis laicis relictum fore laicale, ait Garc. *loc. cit. n. 596. & 597.* secus tamen, dum episcopus ex devolutis ad se bonis feudalibus, antequam per ipsum incorporentur mensuræ suæ, fundaret beneficium cum reservatione jurispr. pro suis consanguineis laicis; nimirum jus illud patronatus minimè reputari laicale, & eam reservationem patronatus esse inutilem, ait Lott. *à n. 24.* eò quod cum bona illa sint de dominio Ecclesiæ, & facta devolutione, etiam ante incorporationem, dicantur pleno jure pertinere ad Ecclesiam, improbable est, ut patronatus alteri quam Ecclesiæ acquiratur: unde si Papa confirmaret talem reservationem patronatus factam laicis, ex quo non habet causam radicatum in jure communi, ea judicabitur ex mero privilegio. Lott. *loc. cit.* ubi etiam *num. 16.* contra Monach. ostendit, non esse plus seu majoris præjudicii Ecclesiæ bona Ecclesiæ dare in feudum, quam ex eorum applicatione in erectionem beneficii constituere juspatron. laicis.

6. Quintò: tamen, ut dictum, dum beneficium fundatum ex bonis Ecclesiasticis, juspatron. etiam si dein transeat ad laicos, adhuc sit & maneat ecclesiasticum, Barb. *loc. cit. n. 16.* id tamen intelligendum, dum laicus acquirit dictum juspatr. titulo merè lucrativo v. g. donatione, Barb. *ibid.* Pirh. *num. 4.* si enim illud acquirit titulo oneroso v. g. permutationis auctoritate Apostolica, mutat suam originalem naturam, & efficitur laicale, non secus ac bona Ecclesiastica sunt laicalia & patrimonialia juxta conditionem personæ laicalis, cui adherent, ne alioquin in nimis exorbitante lucro verteretur Ecclesia, si utrumque, nimirum quod illa dat in dicta permutatione, & quod illa accipit à laico, maneret Ecclesiasticum; quod alienum videretur ab honestate Ecclesiæ, quæ religio sa cunctrix & auctrix est justitiæ; dum non patitur, contra justitiam fieri aliquid in se vel in alterum. AA. iidem *ibid.*

7. Sextò: si laicus fundans de bonis propriis beneficium, juspatron. reservet Ecclesiæ sub hac lege, ut ad eam pertineat, non tanquam ecclesiasticum, sed tanquam laicale, erit patronatus laicalis, inspecto nimirum ejus fundamento & origine; lex enim ista fundatoris præservat illud in eodem statu, & aliud hic nihil mutatur, quam persona habentis ministrare, per quam mutationem non mutatur qualitas illa naturalis ipsius rei. Lott. *loc. cit. & n. 5.* citans Spino. *in speculo de testam. Gl. 4. n. 17.* non obstante, quod alias translato à laico jurepat. aliis laicali in Ecclesiam, illud evadat ecclesiasticum, & non attendatur amplius origo Lamb. *loc. cit. n. 8.* Covar. *c. 36. n. 5.* Paris. *vol. 4. conf. 35. n. 11.* id enim intelligendum, nisi aliter in ipso actu translationis conventum. Lott. *num. 7.* Barb. *loc. cit. num. 12.*

8. Septimò: dum laici vacante Ecclesiâ vel beneficio nominant Rectorem, quem capitulum vel persona Eccles. præsentat Episcopo, jusp. est laicale; quia in hoc casu laici nominantes potius dicuntur

estur patroni, cum præsentans sit potius procurator, quam præsentator; quia actus illius non est liber, sed necessarius, & qui nominant non habent solum consentire, sed potius præsentatio videtur ab iis facta, ita ut, si præsentans nollet nominatum præsentare intra tempus, is haberetur pro præsentato, *Garc. loc. cit. n. 616. ex Gamb. l. 3. num. 392.* contra Jo. And. è contra jusp. non erit laicale, si laicus præsentare debet cum consensu ecclesiastici; secus si tantum cum consilio ecclesiastici; quia id non teneretur sequi, *Garc. ibid. ex Puteo. l. 2. decis. 506.*

9. Contra jus patron. est ecclesiasticum primò: quod etsi ortum habeat ex patrimonio vel bonis laici, fuit tamen vel ab initio v. g. in fundatione à fundatore, etiam laico, præservatum personæ ecclesiasticæ, vel postmodum hereditate, donatione, vel quovis alio titulo translatum in ecclesiam, collegium Clericorum, vel in personam ecclesiast. etiam privatam ratione dignitatis vel beneficii, annectendo illud beneficio. *Less. loc. cit. n. 20. Pirh. loc. cit. n. 3. Garc. p. 5. cit. n. 553. Barb. n. 10. citans Lamb. ubi ante a. 1. Rebuff. in pr. tit. de præsent. n. 5. & 7. Paris. de resign. l. 2. q. 4. n. 39. Lott. l. 2. q. 10. n. 6. citans Covar. c. 36. n. 5. Paris. vol. 4. conf. 35. Corrad. l. 4. c. 2. nu. 50. facta enim huiusmodi translatione, non attenditur amplius origo illius, intelligendo nimirum hæc sub dicta limitatione; nisi transferens illud aliter statuerit.*

10. Secundò: quod competit v. g. episcopo ratione domini alicujus temporalis. v. g. Comitatus vel ducatus alicujus competentis eidem episcopo occasione seu ratione suæ ecclesiæ, cum illud juspatron. habeat ortu & causam à Domino illo seu comitatu, qui est ecclesiæ, seu in bonis ecclesiæ. *Garc. l. c. n. 555. citans Vela. p. 2. consult. 163. ad finem. Barb. n. 8.*

11. Tertiò: juspatron. censetur adhuc ecclesiasticum & ecclesiasticum, quod competit laicis utriusque sexus religiosis viventibus, habitum religiosum gestantibus, gaudentibusque privilegio fori & Canonis. *Barb. loc. cit. n. 7. Lott. l. 2. q. 10. n. 44. citans Suar. de censur. to. 5. d. 22. f. 1. Malcard. de prob. conclus. 960. nu. 2. & 6. Lamb. ubi ante a. 10. Gig. de pens. q. 24. n. 5. Et in specie, quod competit Beginis, monialibus, Abbatibus, *Garc. loc. cit. citans pro hac n. 554. expressam Rotæ decisionem. Item quod spectat ad illas tertii Ordinis S. Francisci, non ut singulas, sed ut universas. Garc. n. 556. citans præter paulò ante citatos Selv. de benef. p. 3. q. 11. n. 3. Felin. Roch. & c. Lott. n. 47. Item quod spectat ad magistros seu milites Ordinum militarium D. Jacobi Calatravæ, Alacantavæ, & c. etiam conjugatos ratione magistratum aut præceptoriarum seu Commendarum. *Garc. ibid. citans Malcard. ubi ante n. 3. & ex eo Barb. loc. cit. n. 8.***

12. Quartò: idem dicendum viderur de jurep. nimirum esse ecclesiasticum, quod competit confraternitatibus vel sodalitatibus laicorum aliorum juxta *Garc. loc. cit. n. 606. Lamb. p. 1. l. 1. q. 1. d. 10. n. 4. & 5. Guetier. qq. Can. l. 1. c. 35. n. 24. & plures alios apud Garc. dum dictæ confraternitates affixæ sunt alicui ecclesiæ, & maxime si ab Ordinario sint approbatæ; quia tunc, ut Lamb. licet ipsi confratres sint laici, & ex sua persona non dicantur patroni ecclesiastici, tamen quatenus faciunt collegia, quæ ecclesiæ adherent, bene dicuntur patroni ecclesiastici, & ita etiam pro rebus communibus ipsius confraternitatis conveniuntur coram judice ecclesiastico; & non coram laico, licet*

de aliis eorum rebus, & delictis conveniantur coram judice laico seu seculari. Sunt etiam ipsæ tales Universitates, etsi sint universitates laicorum, ut *Garc. n. 606.* dum ab Ordinario sunt approbatæ (vel etiam absque dicta approbatione, ut Castillo, Menoch, Sfortia & c. apud Garc.) loca pia, & de foro ecclesiastico; quin & loca religiosa; unde jam habebunt femetria ad præsentandû, nec poterunt variare ut laici. *Garc. n. 607.* Quamvis ex æquitate ad effectum derogationis & reservationum illud juspat. istiusmodi confraternitatum censendum sit laicale *Garc. n. 608.* Contrarium tamen sentientibus de his confraternitatibus, dum confratres non induuntur aut distinguuntur signo aliquo religionis; dum ipsi capellam aliquam vel beneficium collatis symbolis, vel aliter ex bonis secularibus fundant; quamvis illi in aliquibus locis vocentur ecclesia, *Less. loc. cit. n. 21. Azor. l. 2. c. 28. §. item jusp. Corr. l. 4. c. 2. n. 54. Barb. n. 15. Covar. qq. practic. c. 36. n. 8. Navar. de foro comp. conf. 3. Fusc. de visitat. l. 2. c. 14. n. 12. & alii citati à Barb. & Garc. n. 604.* juxta decis. *Rotæ in Valent. benef. 16. Octob. 1576.* quam ibidem refert *Garc. eò quòd dictæ confraternitates non gaudent privilegio fori & Canonis dici non possunt personæ ecclesiasticæ, nec pium collegium; & licet causâ pietatis instituta sint, & affixæ alicui ecclesiæ, ipsi tamen, ex quibus Collegium hoc vel universitas constat, & ad quorum suffragia sit præsentatio, sint meri laici, & hanc universitatem laicorum præsentatio spectet, & non ad ecclesiam, nec ad aliquam ecclesiasticam dignitatem. Contrarium quoque sentit *Lott. cit. q. 10. d. n. 45.* atque constare, perperam sic fuisse AA. oppositæ sententiæ; eò quòd supponatur juspatron. spectare ad ecclesiam, cui confraternitas est affixæ, & jam recedatur ab hypothese, in qua versamur; nimirum quòd illud competat ipsi confraternitati; vel retinetur eadem hypothesis, nimirum quòd confratribus in solidum jus illud competat, & sic excludimus illud ab ecclesia, & jam impossibile est, illud dici ecclesiasticum, aut fieri argumentationem à Beginis vel fororibus tertii Ordinis; cum hæc supponantur propter religionem, quam habent, facere collegium vel monasterium, quòd reputatur ecclesiasticum, & vel sic ecclesiam, cui juspatron. est acquisitum; neque enim queritur, an confraternitates tales, sint loca pia ratione alterius operis, ad quòd instituta, vel etiam, an sint subiectæ foro ecclesiastico; quia instituta auctoritate ecclesiastica (quòd utrumque admittit *Lott.*) sed an sint collegia ecclesiastica ratione alicujus ecclesiæ, cui juspatron. qualiter sit; quòd quia non sunt, etsi de cetero in pluribus subiecta sint episcopali jurisdictioni, affixæ etiam sint ecclesiis, in quibus habent oratoria, etiam si insuper instituta auctoritate episcopi, juspatron. iis competens non est ecclesiasticum; sed neque habent privilegium fori, quale in universum habent personæ ecclesiasticæ.*

13. Quintò: juspatron. competens seu relictum operariis, hoc est, præfectis fabricæ ecclesiæ seu economis ecclesiæ laicis, est adhuc ecclesiasticum juxta eundem *Garc. p. 5. c. 1. n. 599.* citantem pro hoc *Hieron. Paul. in practic. Cancellar. Lamb. loc. cit. a. 10. n. 6. Malcar. concl. 960. n. 14. Rebuff. in praxi tit. de præsent. n. 6. Gamb. de off. leg. l. 3. n. 390. & n. 145.* eò quòd licet sint laici, competat tamen iis illud jusp. ratione officii & administrationis honorum ecclesiæ, adeoque illud iis non prove-

proveniat ex eorum personis, sed ex ipsa ecclesia ut Hieron. Paul. ac ita representant quod ad hanc administrationem personas Ecclesiasticas, quibus de jure competit cura fabricæ & administratio bonorum ecclesiæ. Verumque id putat Garc. *ibid.* contra Gamb. etiam illi præfecti fabricæ laici deputati non sint vel confirmari ab Episcopo, sed à paroco vel ab aliis, ad quos de consuetudine id pertinet. Contrarium quod ad principalem sententiam Felin. *in tr. quando litere Apostolicæ. limit. 4.* Covar. *cit. c. 36. num. 8.* Selva. *p. 3. q. 11. n. 60.* Roch. *de jurep. v. jus. q. 3. num. 17.* Azor. *p. 2. c. 28.* & alii, quos citat & sequitur Lott. *cit. q. 10. n. 48.* Ex eo, quod illi sint laici non gaudentes privilegio fori & canonis, etsi ratione muneris conveniri possint in foro Ecclesiæ; sed neque illud jus patron. habeant ab Ecclesiâ, hoc est, ratione Ecclesiæ aut beneficii (non enim per hoc, quod deputentur ad tale munus, creatur aut mandatur illis officium aliquod in ecclesia ipsa cum superioritate vel potestate aliqua, sed nudum exercitium seu ministerium convertendi aliquos redditus in causam fabricæ sub onere reddendi rationem ministris ipsius Ecclesiæ, ut Abb. Auffrer: & alii apud Lott. *n. 53.*) sed competat illis ratione muneris, quod utcumque dici possit dependens ab ecclesia, aut ei adjectum, est tamen quid penitus ab Ecclesia ejusque iuribus distinctum & remotum, & prorsus laicale. Lott. *cit. n. 53. & 58.*

14. Sexto jusp. spectans ad hospitalarios, id est, administratores hospitalium, etiam laicos, est Ecclesiasticum; dum hospitale fundatum est auctoritate episcopi juxta Garc. *n. 600.* Lamb. *ubi supra. n. 7.* & Gamb. *n. 413.* eò quod hospitalia sic erecta sint loca pia, religiosa, gaudentia privilegiis Eccles. ut Selva. *p. 1. q. 6. n. 8.* Tiraquel. *de privileg. pia causa. in præfatione.* Mandos. *de signat. gratia. c. ult. n. 6.* Gutier. *loc. cit. n. 29.* Zerola. *in pr. p. 1. v. hospitale &c.* apud Garc. *n. 601.* gaudeantque etiam immunitate, de Gonnif. *de immunit. Eccles.* Covar. *l. 2. var. resol. c. 20. n. 4.* Malcard. &c. etiam dum non haberent Ecclesiam annexam in forma solenni Ecclesiæ, ut *cit. num. 601.* insinuat Garc. Idem se tenere dicit *n. 602.* Garcias contra Gamb. *l. 5. rubric. de potest. leg. circa hospitalia,* & & plures alios nimirum esse adhuc juspatr. Ecclesiasticum, etsi hospitale non sit erectum vel approbarum auctoritate Episcopi, eò quod licet tunc non sit locus sacer vel religiosus, & sic non gaudeat immunitate, ut Gonn. Cabedo &c. videatur tamen adhuc esse locus pius, & de jurisdictione Ecclesiastica, & gaudere privilegio Ecclesiæ, cum causâ pietatis sit institutum juxta *c. de Xenodoch. & religios. domibus,* & ea, quæ habentur in Trid. *sess. 22. c. 8. 9.* utpote locum habentia in hospitalibus & locis piis privatis, neque auctoritate Ecclesiastica institutis ut censet S. Congreg. Concilii. Et hoc adhuc, ut Garc. *n. 603.* etiam hospitale non est perpetuum, sed à fundatore vel ejus successore revocari potest; cum id non tollat, quin interim dici possit locus pius, vel saltem causâ pia, seu opus pium. Selv. *loc. cit. n. 6.* Sfortia odus. *de integ. restitut. p. 1. q. 3. a. 6. n. 48.* & plures alii apud Garc. *n. 603.* & qualibet causâ pia gaudet privilegiis, quibus gaudet Ecclesia. Tiraq. *de privileg. causa pia privileg. 140.* Sylv. *V. ligatum.*

15. Septimo: similiter ex eadem causâ Ecclesiasticum esse juspatron. quod spectat ad collegia instituta pro sustentatione pauperum studentium vel

aliorum egenorum, tenet Garc. *n. 612.* eò quod & hæc sint loca pia gaudentia privilegiis ecclesiæ, & si instituta auctoritate ecclesiastica, etiam sint loca religiosa. Geronda *de gabell. p. 7. n. 42.* Azevedo &c. apud Garc. & reputantur ecclesiastica; licet major pars sint laici. Roch. Barbart. Card. Albanus, quamvis dictum juspatr. saltem ubi major pars est laicorum, ex æquitate ad effectum derogationis & reservationum videatur censendum laicorum, Garc. *ibid.*

Questio 17. Quid sit jusp. mixtum?

Respondeo: quod ex patronis laicis & Ecclesiasticis coalescit. Caltrop. *loc. cit. nam. 2.* five quod pertinet partim ad ecclesiasticum, partim ad laicum, Barb. *loc. cit. n. 17.* citans Monet. *c. 10. n. 220.* Verum tamen juspatr. non dicitur mixtum ex solo concursu Ecclesiæ seu patroni ecclesiastici & patroni laici; sed illud tantum, quod æqualiter utrique competit; nam si ex tribus vocibus duas habet ecclesia, judicatur totum ecclesiasticum, è contra, si duas habeat laicus, totum erit laicale. Lott. *l. 2. q. 10. n. 67.* citans Lignarium *in c. dilectus. 3. de constitut. n. 3.* Roch. *de jurep. v. jus. n. 16.* qui ultimis rectè paritatem hanc accipiendam ait, non ex paritate personarum, sed ex parte suffragiorum; mixtum enim dicitur, quod ex conventionione & permissione plurium specierum compatibilium confectum est. Lott. *n. 62.* Menoch. *conf. 461. n. 16.* istque mixtum aliud constitutum nempe novæ seu tertie speciei, quod confectum est ex speciebus in quantitate æqualibus: aliud non constitutum, cui alia species in minore quantitate admixta; adeoque est retentivum propriæ speciei; cum ista admixtio simplicem quantitatem inferat, nec mutet substantiam speciei, cui admiscetur; utcumque enim possit & hoc dici mixtum; tamen, quia prævalet altera species, illa sola attenditur tanquam magis potens, & ex ea sola accipit denominationem, Lott. *n. 65. & 66.* Contrarium tamen, nimirum, etiam ubi unus est patronus laicus, & duo vel plures ecclesiastici, dicendum adhuc esse non ecclesiasticum nec laicale, sed mixtum, sat indicat Caltrop. *loc. cit. p. 2. n. 3.*

Questio 18. An igitur patronatus coalescens ex laicis Ecclesiasticis personis, quò ad iura, & effectus censendus sit laicus vel Ecclesiasticus?

Respondeo: In articulo præjudiciti, quod potest inferri patronatus hujusmodi mixto, in quo nimirum est dicta vocum æqualitas, censetur is merè laicalis, v. g. quò ad effectum exclusionis, reservationis, prout etiam censetur laicalis ad hoc, ut in eo non requiratur forma examinis per concursum pro conferenda parochiali. Lott. *n. 68. 75. & 76.* citans Roch. *ubi antè n. 15.* Lamb. *l. 2. p. 3. q. 9. a. 9. n. 1.* Hojed. *de incomp. benef. p. 1. c. 24. num. 114.* &c. Barb. *loc. cit. n. 18.* citans Mand. *ad reg. i. cancell. q. 10. n. 8.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 18. n. 13.* &c. et nequaquam pars ecclesiastici tanquam dignior trahit ad se partem laici, ut perperam, & juxta decif. Rotæ erroneè senserunt Aneas de Falcon. & Staphil. apud Lott. *cit. n. 76.* sed potius Clerico suffragatur privilegium laici, & è contra. Abb. *in c. dilectus. de offic. legati. n. 5.* Felin. *in c. multorum de Judais. n. 3.* Feder. *de Senis. conf. 65. n. 1.* apud Lott. *cit. n. 68.* dum enim agitur de favore vel odio, juris ministe.

ministerio opportunè aut retinetur, aut dissolvitur ista mixtura; unde sicut mixtum comprehenditur in favorabilibus sub simplici, ita in odiosis minimè. Lott. n. 70. citans Surd. cons. 453. n. 49. Zimaldi Ruinum, Bero &c. Hæc eadem procedere, nimirum non cadere sub regula reservationum beneficium: esse locum mutationi; dari quadrimestre ad præsentandum, si patronatus constaret ex duobus ecclesiasticis & uno laico, tenet Castrop. cit. n. 3. citans Perez de Lara. l. 2. de capellis. c. 9. n. 16. eò quòd conjunctio patronorum ecclesiasticorum non debeat præjudicare laico. Idem tenet C. de Luca, de Jurep. in summ. n. 47. in sine. dum ait: probabilis magisque receptum est, idem tenendum de mixtura inæquali, quod dictum de æquali, ut nempe attendatur semper ea pars, quæ favorabilior est, magisque expedit pro respectuum diversitate, adeoque practicitur limitatio axiomatis illius: quòd una & eadem res diverso jure censeretur non debeat, dum idem juspatr. pro diversitate effectuum seu respectuum quandoque ecclesiasticis, quandoque laicis jure meretur: ait insuper idem Card. n. 48. hæc procedere, ubi jusp. tam in habitu, quam in usu seu exercitio pro æqualibus vel inæqualibus portionibus pertinet partim ad laicos, partim ad ecclesiasticos. Secus ubi penes laicos residet quoddam juspatr. habituale seu honorificum, actuale verò est tantum penes ecclesiasticos; quia tunc jure ecclesiasticis quòdam dictos effectus totum censeretur, idque etiam laici in exercitio aliquam habeant participationem, puta jus nominandi unum vel plures præsentandos ab ecclesiasticis, dummodò nominatio ista non sit coactiva sed consultiva, ut persona laici grata præsentetur. Sic olim fiebat; & commendabile esset, ut hodie dum quoque fieret, nisi laici sibi ipsi hoc malum intulissent per abusum ecclesiasticæ indulgentiæ, dum ea, quæ consultivè, & ex dicto motivo practitari solebant, prætereundè ceperunt importare jus coactivum inalterabile. Ita ille.

Questio 19. An igitur, dum juspatron. est Ecclesiastici, & laici, & facta est conventio seu concordia de alternis vicibus præsentando, in turno Ecclesiastici censeatur Ecclesiasticum, in turno laici laicale.

Respondeo affirmative Garc. n. 614. citatque Jo. And. in c. cum illis. de preb. in c. Roch. V. jus. q. 6. & alios. Unde si pro turno Ecclesiastici beneficium vacaret in mensè Apostolico, beneficium caderet sub reservatione, & tamen Ecclesiasticus consumeret turnum suum; tunc enim Papa provideret loco illius, & aliàs fieret præjudicium laico. e contra, si vacaret pro turno laici in mensè Apostolico, non caderet sub reservatione, & si provideretur à Papa cum derogatione juris patroni. mixti non habet locum derogatio. Vide de hoc Garc. num. 615.

2. Contrarium tamen probabilis tenet Lott. cit. q. 10. n. 98. ubi ait deceptum & errasse Garc. reputando merè ecclesiasticum, & cadere sub reservationibus Apostolicis, dum facultas præsentandi est in turno ecclesiasticæ; eò quòd dum in tali patronatu constituitur turnus, non ideo dissolvatur ea mixtura, nec turnus ille dividat juspatr. aut jus præsentandi, utpote quod est individuum; sed tantum usum & exercitium, ut Innoc. in c. 1. de jurep. n. 1. Vitalin. in clem. plures. de jurep. n. 3. & 8.

durante autem illà mixturà & individuitate juris istius patronatus, non possit juspatron. mixtum cadere sub reservatione, ac ideo turnus hic minimè efficit, ut hinc solidetur jus dictum ab exercitio in exercitio, ita ut cadat sub reservatione, ut Gonz. ad reg. de mens. gl. 45. §. 3. n. 35. Sed potius, ut nisi hoc Papa intelligat, non censeatur voluisse præjudicare patrono existenti in turno. Lott. n. 100. non obstante, quòd existens in turno dicatur vice suà præsentare, ita ut ad eum dicatur pertinere præsentatio; stant enim hæc simul, quòd turnarius præsentet vice suà, & præsentatio hac vice ad eum pertineat, & nihilominus beneficium jurispat. mixti non cadat sub reservatione propter mixturam, quæ non habet suas radices in eo exercitio; sed in ipso jure individuo. Lott. n. 101. & 102.

Questio 20. Quid sit juspatr. hæreditarium, qualiter præsumatur tale in dubio?

Respondeo ad primum juspatr. hæreditarium est, quod transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos. c. 3. h. r. Lott. l. 2. q. 11. n. 19. Barb. cit. c. 12. n. 20. citans Monet. de ult. volunt. c. 11. n. 134. Marefchot. var. resol. l. 2. c. 55. n. 8. Bonacof. to. 1. comm. opin. l. 1. tit. 5. n. 36. Covar. &c.

2. Respondeo ad secundum: in dubio præsumendum est, juspatr. esse transitorium ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, ubi ex fundatione vel aliunde non docetur de contrario. Lott. loc. cit. Barb. loc. cit. citans Lamb. p. 2. l. 1. q. 2. n. 15. Marant. l. 2. controv. resp. 16. n. 23. &c. Cum enim de jure communi juspatr. sit transitorium ad hæredes quantumcunque extraneos. Lott. ibid. citans Lamb. ubi antè, Molin. de primogen. l. 1. c. 24. nu. 7. Didac. var. resol. l. 2. c. 18. n. 6. &c. censeretur in dubio fundator voluisse se conformare cum juris communis dispositione. Lott. ibid. num. 20. & 21. dicens esse communem sententiam, semperque urgere præsumptionem, patronatum non esse gentilicium, sed hæreditarium juxta c. 1. & 2. h. r. ubi Abb. n. 3. & 4. quæ tamen præsumptio eliditur ita, ut potius præsumatur gentilicium, si in provisionibus semper fuit habitamentio familiæ & descendentis; nunquam verò hæreditariæ qualitatibus: vel quando spatium 100. annorum nullus extraneus aut fœmina in eo præsentavit. Barb. loc. cit. n. 23.

Questio 21. Quid sit juspatr. gentilicium seu familiare, qualiter hæc qualitas patronatus imprimi possit, & perseveret, aut transeat.

Respondeo ad primum: patronatum illum dicunt gentilicium, quem fundator voluit pertinere ad gentem seu familiam suam aut alterius personæ à se dictæ. Lott. cit. q. 11. n. 3. Barb. n. 22.

2. Respondeo ad secundum: potest hæc qualitas imprimi patronatus per fundatorem quodocunque, etiam post ipsam fundationem, accedente consensu Ordinarii. Lott. n. 4. citans decis. Rotæ 675. n. 2. p. 1. recens. eò quòd licet translatio patronatus attentari nequeat in præjudicium illius, cui est jus quæsitum, etiam ex sola possessione bonæ fidei (veluti quia non clam & præcarid, sed palam & jure suo præsentavit) & hinc ista translatio fieri nequeat in præjudicium gentilium, ubi pro gente reservatus fuit. Lott. n. 5. & 6. citans Covar. var. resol. l. 2. c. 18. n. 10. Molin. de primogen. Hisp. l. 1. c. 24. n. 31. Garc. p. 5. c. 9. n. 69. cessat nihilominus hoc præjudicium, dum

dum patronatui purè hæreditario imprimitur hæc qualitas; quin & impressio hæc tendat in favorem Ecclesiæ, utpote cui hæc ratione aperitur spes libertatis post extinctam familiam, atq; ita fingatur favore Ecclesiæ, quòd sic fuerit à principio cautum. Lott. à num. 17.

3. Respondeo ad tertium: hæc gentilitia qualitas semel impressa continuat, quousque gens ipsa seu familia durat intransmissibiliter, præterquam si transmissio ab ipso fundatore fiat. Lott. n. 10. ex Lamb. l. 1. p. 2. q. 2. a. 8. n. 4.

4. Respondeo ad quartum: finitâ familiâ transit ad hæredes, & efficitur hæreditarius. Anchar. conf. 81. nu. 4. cujus sententiam esse communem & veram contra solum Gemin. conf. 45. n. 7. ait Lott. n. 11. nisi fortè aliud disposuisset fundator, v. g. reservando patronatum pro tali familiâ taxativè seu tantum, vel cum alio signo æquipollente; tunc enim vi pacti singularis procederet illa exclusio hæredum. Lott. n. 12. & 13. Paris. conf. 84. nu. 6. l. 4. Quin imò etiam durante familiâ posse talem patronatum alienari in præjudicium alienantis, & sic transire ad hæredes extraneos, quatenus alii non impugnant, contra quos tamen etiam præscribi potest, ait Lott. n. 14.

Questio 22. Quid sit juspatr. mixtum, intellige ex hæreditario & gentilitio?

Respondeo: patronatum reputari mixtum, dum fundator utramque qualitatem, nempe hæredis & gentilis in successore exegit (ex enim compatibiles sunt) ita ut tunc non admittatur, nisi qui hæres sit simulque gentilis; extraneus verò repellatur. Lott. cit. q. 11. n. 41.

Questio 23. Qualiter jusp. de hæreditario efficiatur gentilitium, & contra, vel etiam mixtum?

1. **R**espondeo ad primum: posse post foundationem perfectam Episcopum, si super hoc inflet fundator ipse, qualitatem jurispr. ita mutare, ut de hæreditario fiat gentilitium, Lott. loc. cit. q. 47. n. 64. minime tamen hoc poterit ad instantiam successorum in patronatu. Lott. n. 65. citans Felin. in c. cum accessissent. de constir. n. 19. Ferret. conf. 134. n. 5. Rotam in Pistoriensi jurispr. 31. Martii 1628. cum agatur tunc de mutanda voluntate defuncti. Potest item fundator de consensu Episcopi, ut dictum, post constitutum jusp. eidem imprimere, seu potius insuper adjicere qualitatem gentilitii; sed tunc de purè hæreditario efficietur mixtum. Porro posse fundatorem in codicillo declarare, an jusp. fuerit gentilitium an hæreditarium; quin & posse eundem non minus in codicillis, quam in ipsa fundatione de consensu Ordinarii hoc vel illo modo qualificare patronatum, tradit Corrad. pr. benef. l. 2. c. 12. n. 57. juxta decis. Rota 675. num. 2. p. 1. recent. Abb. l. 1. conf. 59. n. 3. Paris. l. 4. consil. 35. n. 5.

2. Respondeo ad secundum: gentilitium mutari in hæreditarium, seu transire ad purè hæredes extinctâ seu finitâ familiâ, cui reservata fuerat, juxta dicta paulò supra.

Questio 24. Quid sit jusp. personale, & reale.

Respondeo: personale est, quod à rebus & possessionibus distinctum personam comita-

tur, utpote competens personæ ratione personæ; quale est, quod tibi cuique hæredibus & successoribus competit ob fundatam Ecclesiam, vel privilegium à Papa concessum. Reale est, quod rebus ipsis inhæret v. g. quod tibi competit ratione alicujus villæ, castri, vel prædii, cui ex fundatione annexum est. Castrop. cit. d. 2. p. 4. n. 1.

Questio 25. An, & qualiter jusp. sit quid spirituale?

1. **R**espondeo: esse secundum se, seu ex objecto suo simpliciter & intrinsecè merè spirituale, tenent Suar. l. 4. de Simon. c. 26. n. 7. & 8. Laym. Th. mor. l. 4. tr. 21. c. ult. §. 5. n. 60. apud Pirh. loc. cit. n. 5. item Navar. in commentatione super rub. de judiciis. n. 3. apud Lott. paulò post citand. n. 5. Tum quia principium, à quo originem trahit, est quid spirituale, nempe potestas Ecclesiastica, non humana, ut inquit Navar. & naturalis; sed divina & supernaturalis per Christum Petro & Ecclesiæ tradita, per quam beneficia sunt instituta; tum quia actus objectum ac terminus, ad quem ordinatur actualis præsentatio (nempe institutio & beneficium Ecclesiasticum) sunt quid spirituale. Sed neque obstat aliquid in se spirituale ordinari ad aliud spirituale dignius, & jusp. obtineri à laicis; cum hi possint per privilegium iis ab Ecclesiâ concessum obtinere jura spiritualia v. g. beneficium.

2. E contra jusp. secundum se & intrinsecè non esse spirituale, sed tantum annexum spirituali, tenent Gl. in c. quanto. de judiciis. & Abb. ibid. n. 6. Azor. p. 2. l. 6. c. 19. q. 2. Garc. p. 5. c. 9. n. 6. Lott. l. 2. q. 9. serè per tot. Pirh. loc. cit. qui ait: hanc esse probabiliorè, & juri Canon. conformiorè, & plerorumque Canonist. Verùm, ut hæc ex fundamento resolvantur, observandum ex Lott. loc. cit. n. 1. in erectione beneficiorum jurispr. tres distinctos & minime confundendos concurrere actus. Primus attribuitur fundatori, & consummatur in oblatione temporalium pro erectione beneficii, & in reservatione jurispr. expressâ, aut subintellectâ; forma autem est ejusdem oblationis sub eadem reservatione actualis præsentatio facta Episcopo, aut habenti jurisdictionem Episcopalem. Alter actus est Episcopi; consistit in admittance dictæ oblationis patroni; ejus forma consistit in reductione materiae illius profanæ ad spiritualitatem seu annexionem divini officii. Tertius actus tribuitur legi concedenti jusp. & consistit in ea concessione jurispr. (cujus proinde materia non est alia, quam triplex illa prærogativa honorificentia, suppeditationis alimentorum, & facultatis præsentandi Rectorem beneficii) forma autem illius est annexio sive applicatio hujusmodi juris facta beneficio erecto, quâ ratione juspat. dicitur annexum spirituali.

3. Hoc patronato, quomocunque definiatur seu describatur spiritualitas (de quo vide Lott. loc. cit. n. 6. & 7.) ea excluditur à patronatu. Si enim simpliciter attendatur persona patroni, jus illud non consequitur à potestate supernaturali (quamvis, ut Lott. n. 8. in æstimando spiritualitatem hanc, non statim sit relatio facienda ad potestatem supernaturalem, ne aliàs facile possent res quævis deduci ad spiritualitatem) sed naturali; dum consequitur ad voluntatem fundatoris, non nisi sub hac lege, ut possit ipse vel alius ab eo designatus præsentare rectorem beneficii &c. offerentis sua (quibusque au-

tem naturaliter possit donationi & traditioni rei suæ, quam vult, legem præscribere) Lott. n. 9. & in eo nihil aliud complectitur, quam hujus desiderii seu voluntatis satisfactionem, quod & ipsum est quid merè temporale, jusque nullum spirituale confert. Lott. n. 11. ex Abb. in c. quanto, de judiciis, n. 6. & Bellamer. *ibid.* n. 2. Et quamvis hoc ipsum ex gratia concedi dicitur, non est referendum ad aliquam spiritualitatem, sed ad singularem juris dispositionem, quo videlicet contra tenorem antiquorum canonum jus illud non admittentium, propter utilitatem rei Ecclesiasticæ, quæ hæc ratione augebatur, auctoritate Pontificiâ introductum fuit. Lott. n. 12. citans Beroium in rub. de judiciis, sub n. 40. & 47. Si verò attendatur effectus illius juris in persona præsentata, quatenus ei acquiritur jus ad rem, neque id ad spiritualitatem pertinet; cum semper remaneat distinctum ab ipso beneficio Ecclesiastico, & ejus provisione eo modo, quo præparatio & ordinatio ad aliquid est quid distinctum ab illo, ad quod facta est. Lott. n. 13. Absurdum etiam est, actum hunc præsentationis considerare in persona præsentati tanquam quid spirituale; cum in ipso præsentante sit quid merè temporale, nec plus sit in causato, quam in influente potentia causa, ut Bald. Litt. N. de senat. Lott. n. 17. & 18. Quare sicut præsentans per præsentationem nihil spiritualitatis exercet, sic per eam nihil spiritualitatis præsentato acquiritur. Lott. n. 19. citans Abb. in c. quanto n. 6. Roch. de jurep. v. jus n. 4. Bellam. in c. piamensis. 16. q. 7. n. 2. &c. unde dum jus illud quaesitum præsentato resolvitur in simplicissimam habitatem personæ ad obtinendam institutionem. Lott. n. 20. ex Azor. loc. cit. non nisi improprie inspecto sine ultimo seu remotè dici jus spirituale. Bellamer. in c. quanto. n. 2. sed neque dicta connexio, quæ juspatr. veluti remotè & inchoativè, mediâ nimirum præsentatione disponit ad institutionem in beneficio, importat in eo spiritualitatem, nisi ad summum talem, quæ valde improprie dicatur quid spirituale; non enim omnis præparatio, seu dispositio ad finem, seu rem spiritualem est simpliciter & merè spiritualis, nisi fortè sit proxima. Pirh. loc. cit. n. 5. ex Azor. ut constat ex simili allato in hunc finem per Abb. in c. quanto. n. 6. & 7. apud Lott. n. 24. de libris Ecclesiasticis, qui etiam ordinantur ad finem animæ, & rei spiritualis; non tamen sunt spirituales & sacri, intelligi in sensu proprio seu intrinsecè. Huc facit doctrina, quam tradit D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1. ad 6. ubi, quòd sicut anima vivit secundum seipsam, corpus autem vivit unione animæ, ita etiam sunt quedam spiritualia secundum seipsa, ut sacramenta & alia hujusmodi; quedam autem dicuntur spiritualia ex hoc, quòd talibus adhæreant &c. Unde juspatr. haudquaquam esse quid spirituale, sed ita dici propter simplicem adhærentiam ad id, quod spirituale est, concludit Lott. num. 16. citans Præpos. in sum. q. 1. nu. 20. Beroium in rub. de judiciis a n. 41.

4. Ulterius circa dictam adhærentiam seu annexionem ponderanda, quæ tradit D. Thom. loc. cit. a. 4. nimirum annexionem illam, quæ in c. quanto, & in c. de jure. dicitur juspatr. esse spirituali annexum, non intelligi de annexione ratione dependentiæ à spirituali; hoc enim casu spirituale illud influeret in ipsum patronatum annexum, seu dependentem, sed de annexione præparationis seu ordinationis ad spiritualia, quæ annexio non facit

P. Lauren. Fort. Benef. Tom. II.

ut præparatum vel ordinatum participet de natura ejus, ad quod fit præparatio vel ordinatio. Unde ut inquit ibi D. Thom. hujusmodi non præsupponunt spiritualia; sed magis ex ordine temporis præcedunt: Atque ita malè existimaverunt quidam, quos citat Lott. n. 22. agi in istis textibus de tali annexione, propter quam alterum ex annexis assumat naturam alterius annexi nobilioris; cum ea annexio, de qua in dictis juribus non fit proprie annexio, quæ constituat unum individuum, Lott. n. 23. Quare ex his concludit Lott. n. 27. & seq. juspatr. cum omnibus effectibus suis esse quidem connexum juri spirituali, id est ipsimet beneficio, sed connexionione impropria, respectu scilicet institutionis ex simplici præparatione & ordinatione juxta sententiam D. Thom. quæ annexio non operetur, ut desinat esse quid merè temporale; cum non sequatur; illud est annexum spirituali, ergo est spirituale.

Quæstio 26. An nihilominus & quare, si spirituale non est juspatr. de eo cognoscere nequeat Index laicus?

1. Respondeo ad primum affirmativè; sic enim expressè disponitur in cit. r. quanto. Lott. n. 30. semper enim juspatr. etiam laicale, spectat ad jurisdictionem Ecclesiasticam; & dum per laicos exercetur, exercetur per eos tanquam nudos ministros Ecclesiæ, Corrad. in pr. benef. l. 4. c. 2. n. 52. Unde ait Lott. n. 31. malè sensisse Zabarell. in c. significavit. de testib. n. 1. Judicem laicum esse capacem cognitionis super articulo, an patronus voluerit Ecclesiam esse liberam à vinculo patronatus, eò quòd in dicto c. significavit. nulla omnino cognitio demandata fuit illi Judici Sabinensi, sed nudum ministerium recipiendi testes; quod nihil concludit ad competentiam propria jurisdictionis; cum in tali casu Judex procedat tanquam merus executor facti, navetque operam Papæ mandanti. Neque vera est distinctio, quam afferunt quidam inter patronatum ex se subsistentem, & patronatum coherentem fundo laicali, cum in utroque casu militet ratio cap. quanto. Lott. n. 42. Non tamen obstat dictis, nihilque detrahit jurisdictioni Ecclesiæ, sed potius mirè eam adjuvat, quòd laicus cognoscit tanquam delegatus Apostolicus de jurep. aliòve negotio Ecclesiastico alicujus particularis causæ. Lott. citans Card. in c. perpendimus. n. 6. de sent. Excom. Felin. in c. 2. de major. num. 3. Cenedo. in qq. Can. q. 4. n. 13. Neque quòd, si patronus laicus per vim expellatur per alium laicum, aut turbetur in possessione status sui, ita ut inde nascatur actio injuriarum, possit talem actionem coram laico exercere, ut Bald. in cit. c. quanto. n. 8. Nam inde non sequitur, quòd judicet super patronatu principaliter, vel incidenter; si enim vellet ultra cognitionem vel correctionem injuriæ pronuntiare super traditione patronatus, id non posset, & transgrediretur limites suos. Lott. n. 44.

2. Respondeo ad secundum: hanc esse istius prohibitionis rationem, quòd juspatr. utcumque temporale, cum prius esset denegatum per Ecclesiam, seu antiquos canones, postmodum per eandem Ecclesiam, seu summos Pontifices propter utilitatem, atque ita jure singulari investum. Unde licet propter dictam connexionem non contraxerit spiritualitatem aliquam, hanc tamen contraxit qualitatem, ut propter finem, ad quem concessum, nempe utilitatem Ec-

B

clesiæ

clesia dicatur negotium Ecclesiasticum; diversa enim sunt spiritualia & Ecclesiastica negotia; neque enim omnia Ecclesiastica spiritualia sunt; sed in hoc conveniunt, ut ratione iudicii aequè Ecclesiastica non spiritualia, quàm Ecclesiastica spiritualia debeant per Iudicem Ecclesiasticum cognosci, & dicantur Ecclesiastica quoquo modo ordinata per Ecclesiam ad ipsam spiritualitatem; juxta *c. 2. de iudiciis*; cuius ratio est, ne sit in manu iudicis laici inferre præiudicium ecclesie juxta Bald. in *c. quanto. n. 7.* ita ferè Lott. *cit. num. 30.*

Questio 27. An igitur, & cur vendi non possit juspatron. & in ista venditione committatur Simonia?

1. **R**espondeo: juspatron. seorsim & secundum se vendi non potest (qualiter autem cum universitate bonorum transeratur per venditionem, dicitur infra) sic enim expressè habetur *c. in iure. & c. praterea. Lott. num. 45.* Verum id non magis concludit ad spiritualitatem; Ratio enim, cur prohibita illius venditio est quidem spiritualitas, sed non quæ illi inest; sed cui ipso patronatus adjacet, propter quam annexionem etiam si patronatus revera sit ius laicale, dicitur sine pretio pretiosum, & sic res prorsus inestimabilis. Lott. *num. 46.* citans Cujacium in *c. quanto. & Abb. in c. de jure. n. 2.*

2. Respondeo ad secundum: committi in tali venditione simoniam, Abb. *loc. cit.* Lamb. *de jurepatr. l. 1. p. 2. q. 4. a. 3. num. 1.* & *p. 1. l. 2. q. 9. a. 10. num. 4.* Laym. *ad c. praterea. de transact. (quamvis, ut dixi, ex alio capite id sentiat; nimirum quia iudicat præsentare non minus quam confirmare & instituere esse spirituale.) Lott. cit. q. 9. num. 75. & n. 71.* dicens esse sententiam communem contra Archid. in *c. qui studet. l. 1. q. 1. num. 2.* quem citat Lott. *num. 65.* quamvis enim nullus videatur afferri textus, qui huiusmodi venditionem pronuntiet simoniacam; uti latè offendit Lott. *a. n. 66.* etiam si etiam à jurepatr. excludatur omnis spiritualitas, & in eo simpliciter tantum attendatur explicata superius annexio, adhuc simoniae locus est; utpote quæ desiniri solet: studiosa voluntas emendi vel vendendi spiritualia vel spiritualibus annexa; adeoque non solum contrahitur super spiritualibus, sed etiam super annexis, & non solum super annexis propriè, seu ex quibus & re, cui annexantur, constituitur individuum; sed etiam super annexis impropriè, id est, separabilibus à re, cui annexantur, vel ad quam ordinantur; quæ fuit ratio adjiciendi verba illa in definitione simoniae: *spiritualibus annexa*, adeoque & illis verbis comprehenditur; ut Socin. in *rub. de simon. num. 12.* & 14. Lott. *num. 76.* Unde cum dicta annexio præsupponat semper causam spiritualem, licet juspatron. sit quid merè temporale, in quantum tamen ordinatum ad spiritualia, & hoc modo annexum spirituali, dicitur vendi tanquam spirituale, si specialiter distrahatur; sicut è contra dicitur distrahi tanquam quid merè temporale, si cum universitate alienetur, ut D. Thom. *loc. cit. n. 4.* apud Lott. *cit. num. 75.* Et tamen huius simoniae longè diversa ratio ab illa, quæ committitur circa ipsa spiritualia, puta beneficia ipsa, seu beneficiorum collationes; hæc enim ut juris divini, seu jure divino inducta, illa solo jure positivo ecclesiastico, adeoque sola

Papæ auctoritate evitabilis. Verum de hac materia alibi plenius.

Questio 28. Juspatron. qualiter reputetur gratia?

1. **R**espondeo: jus patronatus competit ex gratia; sed debita ex iustitia. Lott. *l. 2. q. 9. n. 9.* duplex enim gratia est, una generalis & absoluta, quæ pender à mero arbitrio superioris; alia specialis, quæ dicitur debita ex iustitia, non, quòd non possit denegari absolute & præcisè; sed quòd non possit denegari citra quandam injuriam petentis. Lott. *num. 10.* juxta Gl. in *c. cupientes. de Elect. in 6.* Abb. in *cap. bona memoria. il primo. de postul. n. 13.* & 14. Hofl. *ibid. n. 9.* Porrò eatenus ex gratia concedi dicitur, quatenus conceditur, ut dictum supra, ad juris singularitatem, quo nimirum contra tenorem antiquorum canonum propter utilitatem ecclesie illud introductum fuit. Lott. *n. 12.* Adeoque etiam (uti & ipsa juris hujus transmissio, quæ prius permessa ex mera indulgentia & convenientia ecclesie) jam non sit amplius, uti prius jus extraordinarium & exorbitans, sed commune & ordinarium. Lott. *l. 2. q. 3. num. 19.* citans Feder. de Senis. *cons. 234. n. 3.* quia autem dicta gratia inclusa est Corpori juris, reputatur jus commune, non autem privilegium. Lott. *l. 2. q. 7. nu. 22.* ex Lamb. *p. 1. l. 1. q. 1. a. 4. n. 14.* & regulatur ejus materia secundum terminos juris communis. Lott. *ibid. ex Pureo. l. 2. decis. 369. n. 6.* Proinde si Episcopus tali legi fundatoris, quæ nimirum sub præservazione jurispatr. offert sua ad erectionem beneficii, consentire nolit sine causa, potest fundator recurrere ad superiorem, qui cum cogat ad consentiendum, vel si contumax sit, ipse superior consentiat. Lott. *l. 1. q. 32. num. 17.* citans Felin. in *c. cum venerabilis. de except. num. 33.* Innoc. in *c. in Lateranensi. de præb. n. 5.* ac præcipuè Lamb.

2. Nihilominus, dum prætextu augmenti dotis Papa concedit alicui juspatr. illud dicitur ei competere ex mero privilegio, & non ex dispositione juris, & esse concessio in totum gratiosa. Lamb. *l. 1. q. 6. a. 2. n. 12.* Lott. *l. 1. q. 31. n. 23.* & *l. 2. q. 8. n. 21.* & *seq.* ubi etiam *num. 23.* ait, id procedere, etiam si in privilegio adjunctum fuisset; ut habeatur patronatus perinde, ac si privilegiarius verè & realiter in totum dotasset, extruxisset, & fundasset; eò quòd, quò prægnantiores sunt clausulae & decreta huiusmodi, eò magis in privilegium sonant. Lott. *ibid. juxta decis. Rotæ 58. num. 6. p. 1. recens.* Idem est de eo jurepatr. quòd ex consuetudine, vel præscriptione acquisitum prætenditur; quia ubi non est præscriptio immemorialis bene probata cum exclusione præsertim initii infecti incompatibilis (unde propterea cesset illa facultas competens immemoriali allegandi quemcumque meliorem titulum, v. g. foundationis) semper dicitur juspatronat. ex jure speciali magis quam communi, sive, ut alii loquuntur, potius gratia, quàm iustitia. Card. de Luca. *de jurepatronat. in summa. num. 13.*

† † †
†

PARA-

PARAGRAPHVS II.

De juris patron. efformatione,
seu prima acquisitione.

Questio 29. In patronatus unde, & qualiter ortum seu intro ductum ?

Respondeo : attento primitiva Ecclesie usu, fundatio vel dotatio Ecclesiarum seu prebendarum jus istiusmodi non gignebat; cum hæc omnia fierent ex solo impulsu pietatis, & amore religionis propagandæ & conservandæ. C. de Luc. de jure. in sum. n. 3. Quin & SS. canonibus cautum, ut beneficii seu Ecclesie fundator dotatorve nullam hinc potestatem consequeretur. *Can. moverint* 10. q. 1. non solum quod ad dispositionem, sed etiam quod ad honorem professionis præter illum, qui Christi fidelibus indifferenter exhibetur. Argumento *c. pia mentis* ab. q. 7. Lot. l. 3. q. 3. n. 3. frigescente deinde charitate, ex prudente Ecclesie consilio ad alliciendos fideles laicos ad Ecclesias fundandas & dotandas, per viam gratiæ & privilegiæ inductum, indulgentiamque iis jus patronatus honorifici per speciem protectionis & defensionis (quæ aliis advocacionis titulo veniebat) Ecclesiarum seu beneficiorum, maxime ab alienationibus rerum & reddituum in eas a se collocatorum. *c. filius*, 16. q. 7. C. Luca. *cit. num. 3.* Lott. *loc. cit. n. 5.* Mox etiam gratitudinis ergo concessum, ut patrono ejusve filiiis vergentibus ad egestatem ab Ecclesia de alimentis prospiceretur. *Can. quicumque*, 16. q. 7. ad exemplum patroni, qui in casu egestatis potest a suo liberto alimenta consequi. Lott. juxta *l. alimenta*, de libert. num. 6. & 7. Præterea ex Toletan. concil. 9. inductum, ut quamdiu viverent ipsimet fundatores, eis permitteretur, etiam offerre rectores idoneos Episcopis, per eos ordinandos & promovendos. *Can. decurrimus*, eadem causa. 16. q. 7. Lott. num. 8. SS. Canonibus interim necdum agnoscentibus facultatem ullam seu potestatem hoc ipsum jus offerendi (quod hodie jus præsentandi vocamus) trans ferendi de persona fundatoris in successores seu inter vivos, seu in ultima voluntate, Lott. num. 9. juxta Archid. in *c. hortatur*, d. 71. num. 2. Denique dum exinde fundatores confuessent in fundationis limine hanc legem adjicere, ut sibi alterive à se designato jus tale offerendi seu præsentandi unâ cum aliis prærogativis advocatiæ, honoris, alimentorum, præservaretur; Pontifices rati id minime eis invidendum, ut passim invitarentur tam clerici, quàm laici ad fundandas Ecclesias, jus generaliter iis concessere, adjectâ insuper permissione idem jus in alios transferendi; ac ita usureceptum est, ut modò non sit jus amplius extraordinarium & exorbitans, sed commune & ordinarium, ut satis ostendit totus iste de jurep. titulus in jure *Can. Lott. à num. 14.* Unde qui patronatum præterdit in Ecclesia, & si dicatur niti contra juris communis præsumptionem, secundum quod omnia beneficia præsumuntur libera; non tamen contra jus ipsum; cum potius sit secundum illud: aliud enim est aliquid refragari juris præsumptioni, aliud juri ipsi, ut Covar. *var. resol. l. 1. c. 17.* Lott. num. 20. & 21. de hac jurispat. introductione, processu, & incrementis vide Beroum in *rub. de judicis* num. 57. quem citat Lott. *cit. num. 21.* Atque ex his videtur, prærogativam illam jurispatro. unice prove-

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

nire & dependere à concessione Ecclesie, & differre ab aliis prærogativis, quòd radix illius & fundamentum sit gratitudo juxta dicta superius.

Questio 30. Quot modis nascatur, seu primò acquiratur jus. intellige quòd ad proprietatem, de acquirenda enim illius, quasi possessione quæretur infra, ubi de probatione juris.

Respondeo : ad duplicem generalem speciem restringi jurispat. novam seu primam efformationem seu acquisitionem, nempe ad illam, quæ dicitur de jure communi; & alteram, quæ dicitur de jure singulari, seu mero privilegio. C. Luc. in sum. de jurep. num. 11. ad posteriorem reducuntur modi acquirendi patronatum consuetudine & præscriptione. Prioris speciei, nimirum acquirendi illum ex juris communis dispositione, tres sunt modi: videlicet ex fundatione seu concessione fundi pro Ecclesia ædificanda, ex illius ædificatione, ex dotatione, seu assignatione reddituum sufficiente ad necessaria ministrorum seu rectoris beneficii, & luminaria &c. Corrad. l. 4. c. 4. nu. 27. Lott. l. 2. q. 8. num. 1. Less. l. 2. de just. c. 34. n. 22. cum communi juxta gl. in *c. pia mentis*, 17. q. 7. & Trid. *sess. 25. c. 9.* per hæc enim tria deducitur Ecclesia seu beneficium de non esse ad esse, ut Innoc. in *rub. de jurep. num. 2.* & his tribus constringitur tota activitas juris communis, ut videlicet concessio jurispat. ex quavis alia causa facta nullatenus possit referri ad ipsum jus commune, sed ad merum & nudum privilegium. Lott. num. 3. & 4. Porro hi modi disjunctivè seu discretivè ac singulariter ad dictam acquisitionem sufficiunt; non verò cumulativè requiruntur; veluti si quis vel dederit fundum, vel construxerit, vel dotaverit, efficiatur patronus C. de Luca *loc. cit. num. 14.* Corrad. *loc. cit. num. 2.* Barb. *cit. l. 3. juris Eccles. c. 13. num. 25.*

Questio 31. Qualiter ex dictis causis pluribus simul acquiratur patronatus ?

Respondeo : sicut unus solus esse potest patronus Ecclesie, si idem omnia tria præstitit, ita & plures simul esse possunt patroni, ut dum unus fundavit, alter extruxit, tertius dotavit, jurep. utpote individuo, pertinente tunc ad omnes in solidum. Bassa. n. 1. to. 2. pag. 109. Pirh. n. 8. de Luca. *loc. cit.* Proceditque id ipsum, fiuntque omnes in hoc casu æqualiter patroni jure comunione, non attendens inæquali concursu, quia stante juris individuitate, ille, qui plus erogat, sibi præjudicare dicitur, & consensum dare, ut sibi æqualis socius fiat, qui minus erogat, Card. de Luca *ibid. num. 15.* Imò si plures simul darent fundum, omnes erunt patroni in solidum cum construente & dotante. Pirh. *loc. cit.* Corrad. *loc. cit.* citans Vivian. l. 2. c. 2. num. 1. ita tamen ut istorum concurrentium ad donationem fundi non censeatur, nisi unum suffragium ad præsentandum respectu constructis vel dotantis. Idem è contra esse videtur, dum plures concurrunt ad constructionem vel constituendam dorem.

2. Ex his deducitur primò: si clericus (idem videtur de laico) de pecunia propria construat Ecclesiam in fundo Ecclesie, & clerico, & Ecclesie acquiri jus patrona. Bassa. *loc. cit. pag. 109. num. 2.* Secundò : si ex pecunia Ecclesie coemptus est fundus, & facta constructio, licet non ejus nomine, Ecclesie tamen acquiratur patronatus.

B 2

Bass.

Barb. *ibid.* Tertiò: si unus materiam ad construendam Ecclesiam, alter gratis operas ponit, ut faber, aut solvit ponenti, ambo erunt patroni, si de hoc cum auctoritate Episcopi convenerint, aliàs non; sed erit solus ille, qui materiam posuit. Barb. *ibid.* pag. 109. num. 2. Quartò: si laicus Capellam in ecclesia construat, vel dotet, non acquiritur illi soli juspatr. sed simul Ecclesie; quia Ecclesia fundum dat seu concedit juxta Bassam *cit.* pag. 110. citantem pro hoc Abb. in c. ad audientiam. de Eccles. adif. & Sylv. v. juspatr. n. 2. Garc. p. 5. c. 9. n. 40. Secus esset, si faciens Capellam in Ecclesia, solveret aliquid Ecclesie pro fundo; tunc enim Ecclesia dici non posset ponere fundum; cum illi solvatur pretium pro illo. Garc. *ibid.* n. 42. citans Gonz. gl. 10. num. 15. Nihilominus de consuetudine, ut Card. Luca *loc. cit.* num. 15. Garc. num. 41. Roch. q. 7. v. dotavit. &c. denegatur hoc jus ipsimet Ecclesie etiam gratis alicui privato solum & situm concedenti; quia non per hoc efficitur compatrona, nisi aliter caveatur.

Questio 32. An etiam ex fidei commissio fidei commissarius acquiratur juspatr.

Respondeo affirmative; non enim iis solum conceditur reservari jus hoc, à quibus liberalitus in Ecclesiam diffuit, sed etiam iis, qui quasi ex fidei commissio ejus liberalitatis actum consumerent & effectuarent. Quod pariter habet in se juris rationem; quippe ex fidei commissio manumittendi libertus fit, non roganti, juxta §. qui autem. de instit. de sing. reb. per fidei commiss. relic. Lott. l. 2. q. 3. n. 16. & 17.

Questio 33. An igitur ex predictis causis acquiratur juspatr. in Ecclesia regulari?

Respondeo: non acquiri illud in ordine ad effectum juris presentandi, vel nominandi prælatum illius, aut alium superiorem in ea absque privilegio Apostolico in limine foundationis & dotationis. Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 4. num. 30. & 37.* Card. de Luc. *loc. cit.* n. 24. Castrop. *cit.* p. 2. n. 4. Lott. l. 2. q. 6. n. 65. quia in tali ecclesia prælatus debet eligi, non presentari. c. 1. de Elect. Unde jam vi solius consuetudinis, etiam immemorialis patronus laicus nequit acquirere jus presentandi prælatum, seu Rectorem in ecclesia conventuali (sumitur hic ecclesia conventualis larè præterquam quæ ecclesia collegiata, sive regulari, cum aliàs strictè ac propriè solè ecclesie Religiosorum appellentur conventuales, quæ habent conventum regularem. Pirh. *h. t.* n. 34.) absque concessione Papæ; quod ipsum tamen patrono ecclesiastico concedere potest Episcopus juxta Pirh. *loc. cit.* sed & patronus, etiam laicus potest in foundatione per pactum seu conditionem appositam cum auctoritate & consensu episcopi, seu acceptatione ecclesie reservare sibi jus nominandi, seu presentandi prælatum, etiam in ecclesia conventuali secundum Pirh. qui pro hoc citat Barb. in c. nobis. h. t. Acquiritur autem in dicta ecclesia juspatr. quò ad iura honorifica, aliàsque patronales præminentias; Item quò ad jus presentandi in ecclesiis inferioribus ei annexis; cum sola prohibitio cadat in ecclesia conventuali. Card. Luc. *loc. cit.* Lott. n. 66. Uti & reservari & acquiri potest patronatus in beneficiis intra illam existentibus ex eorum dotatione. Corrad. *loc. cit.*

Questio 34. An igitur etiam in altari jam ab alio extructo possit in abstracto fundari nova Capellania, & in ea ratione hujus foundationis, seu dotationis reservari patronatus.

Respondeo affirmative. Barb. *loc. cit.* n. 37. citans Lamb. l. 1. p. 1. q. 5. a. 15. Roch. v. dotavit. nu. 1. juxta decif. Rota, in Gerund. jurispatr. 22. April. 1622.

Questio 35. Num acquiratur juspatr. ei, qui fundavit, vel construxit, vel dotavit, dum is expressè illud sibi non reservavit in foundatione, dotatione; sive non dixit, se velle esse patronum, seu eà intentione se fundare, dotare, &c.

Respondeo affirmative: Castrop. *cit.* p. 2. num. 4. Card. de Luca, *loc. cit.* nu. 17. Garc. p. 5. c. 9. n. 62. Corrad. *loc. cit.* n. 29. dicens esse conclusionem receptissimam. Lott. l. 2. q. 7. num. 4. dicens esse verissimam, ac citans Lamb. l. 1. q. 2. a. 4. n. 1. Azor. p. 2. c. 19. q. 9. Roch. de juspatr. v. Ecclesiam fundavit. n. 12. pluresque alios, & plures Rotæ decif. contra Paulum de Citadinis in tr. de juspatr. p. 3. causa 2. n. 13. non enim est ad hoc necessaria reservatio expressa illius, sed sufficit tacita; cum ministerio juris, seu ipso jure quærat illi patronatus. Lott. & Castrop. *l. cit.* juxta c. nobis. h. t. Nisi tamen ipse fundator aut dotator expressè id remisisset (sicuti fundans ecclesiam potest illud in totum, vel pro parte remittere, & limitatè illud inducere in præjudicium hæredum vel descendantium. c. 1. h. t. in 6. Garc. *loc. cit.* num. 63. citans Lamb. l. 1. q. 2. a. 4. Roch. &c.) aut si non fecisset; in eo tamen verisimur casu, in quo non posset præsumi ab eo reservatum. Corrad. *cit.* num. 29. C. de Luc. *cit.* n. 17. Qualis præsumptio inter alias vehementior est, si statim à primæva beneficii erectione fundator passus sit beneficium provideri sine aliqua sui presentatione. Lott. *cit.* q. 7. num. 11. Lamb. *cit.* a. 4. n. 19. Uti e contra, si mox ab erectione beneficii episcopus non nisi ad ejus presentationem providerit, satis intelligitur per hoc declarata voluntas fundatoris, sibi tale jus reservandi, etiam de consensu episcopi; observantia siquidem illico subsequuta bene indicat, quid gestum juxta l. fide interpretatione. ff. de ll. Lott. *l. cit.* Sumiturque etiam conjectura satis manifesta ex verbis fundatoris: si nimirum professus fuisset in ipsomet actu, moveri se intente elemosynæ aut spei retributionis æternæ; cum cause istæ videantur directè adversari animo acquirendi patronatum. Lott. n. 12. citans Cresc. de jurep. decif. 1. n. 3. & Rotam decif. 564. p. 4. recent. n. 7. ac dicens, in eo casu cessare omnem controversiam. Insufficiens tamen videtur ratio præsumendi, fundatorem noluisse hoc jus sibi reservare, quòd generosioris & liberalioris animi erga Deum, majorisque sit meriti, fundare aut dotare ecclesiam, relicta ecclesie in libertate sua, nullo sibi reservato patronatu, & absque omni etià nominis proprii vel armorum sive insigniù apollitione juxta exemplum Constantini M. qui, ut Baron. *ad an.* 324. n. 116. nulli in tot celebribus roto ferè orbe à te erectis basilicis & memoriis sui nominis memoravè titulù inculpissè reperitur. De cetero in dubio ceterum fundator sibi reservasse patronatù hac validà urgente conjecturà ductà ab eo, quòd comuniter & ut plurimum sic fieri est consuetum. Lott. *cit.* *quest.* 7. num. 6. citans Decianum.

num *conf.* 280. num. 3. Menoch. *conf.* 10. num. 7. Atque ex his patet, majorem esse vim expressæ reservationis patronatus, quàm tacitæ & subintelle-ctæ; non quidem ad effectum producendi juspatr. sed ad effectum ostendendi voluntatem illam; ubi enim expressè reservatus non est patronatus, hinc inde contrariæ incurrunt juris præsumptiones, quibus nec opus, nec locus est, dum dicta voluntas clarè exprimitur. Lott. *ibid.* n. 5.

Questio 36. An, & qualiter ad hoc, ut juspatr. acquiratur ex fundatione, constructione, aut dotatione, requiratur consensus Ordinarii?

1. **R**espondeo ad primum: dictum consensum omnino & necessariò ad hoc requiri, ut colligitur ex *c. nobis. h. r.* Card. Luca. *in sum. n.* 16. Cort. *l. 4. c. 5. n.* 24. Castrop. *loc. cit. n.* 8. Garc. *loc. cit. n.* 71. Azor. *l. cit. q.* 7. Barb. *de potest. Episcopi 3. p. alleg. 70. n.* 20. Lott. *l. 2. q.* 7. n. 2. ubi etiam, quòd sicut causa efficiens erectionis beneficii est Episcopus, ita etiam Episcopi auctoritas dicitur causa efficiens reservationis juris, in beneficio, quatenus, dum erigitur beneficium, approbat leges in erectionis limine adjectas, si inter illas reperitur reservatio patronatus. Et certè sicut sine superioris potestate edificari non potest Ecclesia, ita nec servituti patroni subjici; Castrop. *l. cit.* Sed neque sufficit consilium Episcopi de erigendo beneficio jurispatr. neque etiam petitio consensùs Episcopi. Corrad. *l. cit. n.* 20. citans Lamb. *p. 1. l. 1. q. 9. a. 2. n.* 131.

2. Respondeo ad secundum: potest hic consensus præcedere aut subsequi, nullaque est necessitas, ut in ipso actu constructionis vel dotationis actu interveniat. Card. de Luc. *l. cit. n.* 22. Castrop. *l. cit. n.* 8. citans Ricc. *resol.* 123. Barb. *ubi ante. num.* 2. Garc. *cit. c. 9. n.* 72. quia si ex post facto (ut si templum sine consensu suo edificatum Episcopus postea acceptet, & consecrari jubeat) interveniat, retrahitur, & est juri conformis, Castrop. *l. cit.* Quin etiam post fundatoris mortem accedere potest; cum mortui successor non possit actum retractare, adeoque nullus ejus novus consensus ad dicti actus revalidationem est necessarius. Card. de Luc. *l. cit. n.* 22. Neque etiam opus est, ut de illo consensu Episcopi expressè constet; cum tacitus ac virtualis seu implicitus sufficiat, qui deducitur ab admissione præsentationum ac subsecutis institutionibus, & admisso exercitio aliorum actuum patronalium. Card. de Luc. *ibidem.* Prout etiam sufficit præsumptus deductus à longa observantia & adminiculis. Card. de Luc. *ibid.* v. g. ex fundatione Capellæ cum insignibus & armis, & ex superioris visitatione. Castrop. *cit. n.* 8. Barb. *loc. cit. n.* 22. Garc. *n.* 74. vel ex eo, quòd Ecclesia jam diu habet campanam, altaria, & his similia; præsumitur enim tunc auctoritate Episcopi constructa. Pirh. *n.* 11. ex Menoch. *de præsumpt. l. 3. præsumpt.* 90. n. 15. Porro hoc ipso, quòd Episcopus consenserit in fundationem vel ædificationem Ecclesiæ, consensisse etiam videtur in juspatr. exinde quarendum fundatori, nisi is illud expressè sibi non reservasset; cum posito isto consensu Episcopi in ædificationem, jam jus ipsum concedat ædificanti juspatr. Et sic resolvit Rota *in immolen. jurispr.* 18. Novemb. 1578. apud Garc. *cit. n.* 71. quòd cum regulariter non soleant Ecclesiæ edificari sine acquisitione jurispatr. & sic potestas dandi licentiam

P. Lauren. Fori Benef. Tom. II.

construendi Ecclesiam trahit secum tanquam ali- quid consecutivum potestatem consentiendi ac- quisitioni juris. & dicta potestas dandi licentiam ædificandi Ecclesiam videtur concedi ad finem, ut ædificans acquirat jus patronatus.

Questio 37. Quis hic veniat nomine Ordinarium potentis auctorizare reservationem juris. sive cujus consensus requiratur ad acquirendum juspatr.

1. **R**espondeo: illum, qui jurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem habet in illo loco, in quo erigitur beneficium; cum hic consensus sit actus jurisdictionis. Castrop. *n.* 9. citans Lamb. *p. 1. l. 1. q. 2. a.* 8. & Barb. *ubi ante. nu.* 23. & 30. sic Abbas aut Prior potens dare facultatem ædificandi Ecclesiam, potest etiam præstare auctoritatem, ut juspatr. obtineatur; quia ædificationem Ecclesiæ patronatus subsequitur. Castrop. *n.* 9. Garc. *n.* 71.

2. Patronatum reservare, seu reservationem illius auctorizare nequit consensu suo Vicarius generalis Episcopi ratione Vicariatus; sive non potest præstare consensum & auctoritatem ædificandæ Ecclesiæ, vel beneficio fundando; ut inde patronatus obtineatur; quia sicut conferre & instituere nequit beneficia; ita etiam non potest illis imponere dictam servitutem; requirit enim id speciale mandatum. Castrop. *l. cit.* Garc. *n.* 75. Lott. *cit. q.* 7. n. 3.

3. Potest tamen hanc facultatem concedere Capitulum sede vacante; quia loco Episcopi succedit. Castrop. *l. cit.* Lamb. *cit. q.* 2. a. 9. Garc. *n.* 79. Barb. *n.* 32.

4. Porro si Ordinarius noluerit præstare consensum, recurrendum est ad superiorem Antistitem, qui illum compellat. Abb. *in c. nullus. h. r.* Selva. *p. 1. q.* 6. num. 15. Azor. *p. 2. l.* 9. c. 3. q. 8. Lamb. *cit. q.* 2. a. 16. & alii apud Castrop.

Questio 38. Dum Episcopus ipse vult fundare beneficium jurispatr. ad sui favorem reservando sibi juspatr. an adhuc opus alterius quàm Episcopi fundantis consensu?

Respondeo: in eo casu consentium illum requirendum ab alio, quàm Episcopo fundante, de cujus favore & interesse agitur, ut conditiones, pacta & reservationes in limine fundationis appositæ approbentur tanquam honestæ, possibiles, & compatibiles cum substantia jurispatr. Quare idem Episcopus sibi in his auctorizare nequit; cum partes & Judicis & fundatoris, examinando justitiam earum, sustinere nequeat. Corrad. *l. 4. c. 5. n.* 29. & 30. ubi etiam, quòd juxta praxin Curia, non tantum, ubi Archi-Episcopus est fundator; sed etiam, dum est Episcopus, pro hujusmodi assensu adiri debeat Papa, & non Metropolitanus.

Questio 39. In particulari qualiter, seu ex qua fundatione acquiratur juspatr.

Respondeo primò: fundare Ecclesiam dicitur propriè, qui dat seu assignat fundum suum, seu locum terræ, in quo Ecclesia construatur. Garc. *loc. cit. n.* 39. Pirh. *n.* 6.

2. Respondeo secundò: non quilibet fundi donatio tribuit juspatr. sed necessarium est; ut totum dominium transferatur. Barb. *loc. cit. num.* 28. citans Lamb. *p. 1. l. 1. q. 2. a. 2. n.* 1 & 2. & Masfobr. *in prax. habendi concurs. prælat.* 7. dnb. 18.

3. Respondeo tertio: per talem solam assignationem non quaritur statim juspat. sed tum demum, dum subsecuta est constructio & dotatio, vel ab ipso fundatore, vel ab aliis; cum nemo dici possit patronus Ecclesie, quae non est, & forte nec futura est. *Garc. n. 44. citans Roch. v. fundatio. q. 2. n. 3. Lamb. p. 1. l. 1. q. 1. d. 1. n. 16. Pirh. n. 8. Argumento c. ad audientiam. de Eccl. adif. Juxta eundem tamen Garciam n. 45. & 46. si Ecclesia vel Capella cepta jam est aedificari, v. g. quia jam primus lapis cum consensu Ordinarii positus est, videtur fundatori jam acquiri juspat. etiam ante perfectionem aedificii, etsi quoad exercitium id ei non comperat, donec fuerit perfecta Ecclesia; eod quod licet tale aedificium inceptum dici adhuc non possit Ecclesia vel Capella proprie, ex quo tamen cum auctoritate Ordinarii est inceptum, est locus pius & religiosus, maxime si ibi est fixa crux juxta Durand. *derivibus. l. 1. c. 2. n. 7. & sic in illo cadit juspat. Nihilominus docet Lott. l. 2. q. 14. n. 1. & seq. illico & ab eo momento incipere juspat. quo quis de consensu Episcopi valide se obligavit fundare, construere vel dotare beneficium sub reservatione patronatus, etiam si adhuc id executioni minime demandatum sit; ita ut nec exinde possit poenitere, sed valeat ad implementum. citat pro hoc Lamb. l. 1. p. 1. q. 4. d. 10. n. 4. destinatio enim illa sub obligatione efficaci habetur pro actu perfecto & consummato ad effectum consequendi privilegia juris, ut dicitur in simili de fundo destinato in dotem; is enim etiam ante matrimonium consequitur privilegia fundi dotalis. l. 4. ff. de fundo dotali, quod provenit ex vi precedentis desponsationis, atque ita virtute actus ex sola destinantis contraria voluntate non resolubilis, ut Felin. in c. cum adeo. de rescrip. n. 2. Porro id intelligitur de acquisitione jurispat. adaequate ad subjectum; ita ut per dictam destinationem jam dicatur patronus, & locum ejus occupare nequeat alter, possitque ex tunc constituere procuratorem ad praesentandum. Lott. *ibid. n. 4. Quamvis, ut dictum, patronatus exercitium non habeat circa tres fructus illius, nimirum praesentationem, alimenta, & honorificentiam; cum aliud sit facere, aliud se promittere facturum, & in his, quae a facto pendent, nihil operetur destinatio, adeoque ei minime per talem destinationem sit jus quaesitum ad exercitium. Lott. num. 5. & seq.***

Questio 40. Qualiter acquiratur juspat. ex aedificatione?

1. Respondeo primo: non acquiri illud aedificanti, dum is suis sumptibus quidem aedificat Ecclesiam vel Capellam; cum protestatione tamen recuperandi expensas ab Ecclesia ipsa; sed Ecclesia. *Barb. n. 30. citans Monet. Gonz. & c. Item non acquiritur ex constructione (idem est de fundatione, & dotatione) non voluntaria, sed facta necessitate, necessitate excludente omnem libertatem. Corrad. l. 4. c. 6. n. 43. Barb. num. 31. citans Lamb. l. 1. p. 1. q. 4. d. 7. & plures Rotae decis. sic haeres gravatus a testatore ad fundandam construendamve Ecclesiam, si id sponte non implevit, sed coactus, & non nisi compulsus a iudice, non acquirat juspat. cum id nimis adversetur intentioni Canonum (quae fuit, ut laici allicerentur ad fundandas Ecclesias) si coactus fieret fundatio vel constructio, & tamen acquireretur juspat. Corrad. *loc. cit.**

ex Lamb. *loc. cit.* Qui tamen exstruxit Ecclesiam voluntarie, etsi postea a iudice cogatur ad eandem dorandam, acquirat juspat. quia ab initio libere aedificando se huic oneri subjicit. *Pirh. n. 14.*

2. Respondeo: acquiritur quoque juspat. ex reparatione, seu reedificatione Ecclesiae penitus destructae, seu directae, ita ut nova consecratione egeat; secus si reaedificetur Ecclesia non penitus destructa. *Garc. cit. c. 9. n. 51. citans plures Rotae decis. Castrop. p. 2. n. 5. Barb. n. 32. citans Lamb. Roch. v. construxit. n. 12. Burfat. volu. 3. conf. 310. nu. 3. Azor. p. 2. l. 6. c. 19. q. 10. Massob. ubi ante. dub. 22. num. 6. Ricc. Campanil. & c. Porro dum Clericus ex rebus beneficii sui aedificat Ecclesiam, acquirat quidem juspat. ad vitam suam, post mortem tamen illius pertinet ad Ecclesiam, ex cuius rebus aedificavit; nomine autem Ecclesiae, si haec collegiata non sit, acquiratur juspat. ipsi successori defuncti in beneficio; si autem Ecclesia sit collegiata, juspat. ad totum Collegium Clericorum spectat. *Pirh. loc. cit.**

3. Respondeo tertio: dum penitus destructa Ecclesia reaedificatur, prior patronus amittit juspat. ex sola extructione ei ortum; si tamen per partes Ecclesia sit reaedificata, licet denique tota nova facta sit, primus instructor non desinit esse patronus; quia eadem Ecclesia esse censetur. *Pirh. l. cit. n. 8. citans Azor. dicta q. 10. & Gl. in c. quoniam h. v. fundatores. Quod si Ecclesia collapsa vel diruta ex eadem materia restauretur ab alio, verius esse ait, *Pirh. ibid.* priorem non manere patronum, licet eadem videatur esse Ecclesia & priori succedat; quia obligatio vel jus semel extinctum in repereunte nunquam amplius reviviscit, juxta *l. qui res. ff. de solut.**

4. Respondeo quarto: ut acquiratur juspat. per reedificationem, requiritur consensus Episcopi in reedificationem, non secus ac in primam constructionem. *Pirh. loc. cit.* Porro aequum est, ut antequam Episcopus consentiat, ut alius Ecclesiam penitus dirutam reaedificet, antiquum patronum requirat, an ipse velit reaedificare, nec ne, ipsiisque aliis praeferat; cum ad illum, qui Ecclesiam adesse perduxit, id primo loco spectet. *Pirh. cit. num. 8.*

5. Respondeo denique: sed neque constructione, maxime si ea perfecta non sit, acquiratur juspat. nisi subsequatur dotatio; cum absque dotatione neque sit beneficium Ecclesiasticum, neque ministros ad officia & ministeria Ecclesiastica exercenda habere possit; ac proinde vanus interim erit talis patronatus & inutilis. *Castrop. cit. p. 2. n. 5. Azor. p. 2. l. 6. c. 19. q. 6. Unde etiam Episcopus nunquam consentire debet in aedificanda Ecclesia, quin prius aedificatorem obliget per instrumentum publicum ad dotandum; cum Ecclesia absque dote aedificari nequeat, c. nemo. de consecrat. d. 1. Castrop. *ibid.* Quod si absque dote aedificata fuerit, consecranda non est, nisi dotetur. *Gl. in c. cum scire. de consecr. Ecclesiarum. Hanc autem dotem tenetur aedificator eo ipso, quod Ecclesiam aedificavit; si minus ejus heredes praestare, & ad id compelli possunt per Episcopum. Castrop. *ibidem.* citans Barb. de potest. Episcopi. p. 2. alleg. 70. n. 4. & 29. Ricc. in praxi resol. 11. n. 6. Azor. p. 2. l. 9. c. 3. q. 7. Et si Episcopus permittit Ecclesiam fundari, consecrari absque dote, eam ipse dotare compellitur. *Castrop. ibidem. Azor. & Barbos. loc. cit.***

Questio 41. Andum quis construxit Ecclesiam in fundo alieno invito, vel inscio Domino, constructori acquiratur jus. an verò domino fundi?

Respondeo: acquiri constructori, non Domino, Et si hic propria auctoritate eam possit destruere vel occupare, si nondum sit consecrata (si enim est consecrata, non potest per Dominum fundi demoliri aut occupari, licet æstimatio fundi à constructore solvenda sit Domino. Abb. in cit. c. 1. de novi operis &c. n. ult.) per ædificationem enim Ecclesie Domino invito auferri non debet fundi sui dominium; cum, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. l. si non deber. ff. de reg. juris. Neque etiam cedit ædificio favore religionis; cum favor religionis tantus esse non debeat, ut ob illum, præjudicium alteri afferatur. c. 1. & 2. de operis novi nunciat. Pirh. n. 13. citans Canif. inc. quoniam h. t. n. 4. Quibus non obstat, quòd Dominus fundi ossa defuncti ab alio illata non possit propria auctoritate effodere. l. ossa. de relig. & sumpt. fun. id enim publicæ utilitatis causâ receptum est, ne cadavera jaceant insepulta. l. sunt persona. ff. eodem. Pirh. loc. cit. Porro potest Dominus fundi in fundo feudali, Vasallo etiam invito, ædificare Ecclesiam; cum & alienare eundem fundum possit eo invito, ita tamen ut æstimatio fundi Vasallo præstetur, vel aliud æquivalens feudum derur; non tamen id æquè permillum est Vasallo. Pirh. ibid. citans Canif. ubi ante. n. 5.

Questio 42. Qualiter acquiratur in patronatus dotatione?

Respondeo primò: non acquiritur, nisi Ecclesiam constructam vel construendam dotaverit quis sufficienter, hoc est, ut Castrop. loc. cit. n. 6. sufficientia bona præstiterit, ut in ea possint divina exerceri; si enim insufficientia bona dederit, non dotator, sed benefactor, ideoque nec patronus erit. c. filius. ib. q. 7. Castrop. loc. cit. Garc. cit. c. 9. n. 52. citans Lamb. p. 1. l. 1. q. 5. a. 2. Abb. Roch. & Barb. de potest. Episc. p. 3. alleg. 70. n. 11. Idque procedit, etiam si Episcopus contulerit in hac insufficientis dotis assignatione; quia insufficienter dotans absolute non dotat. Garc. num. 53. Azor. & Castrop. ll. cit. contra Lamb. p. 1. l. 1. q. 6. a. 13. Qui tamen unà cum aliis ad dotandum concurrat, ita ut ex omnibus dos sufficienter assignata fuit, efficitur patronus; quia ratione communionis & societatis dotem sufficientem præstat. Abb. inc. ad audientiam. de edifice. Eccl. n. 4. Azor. & Castrop. ll. cit. Garc. n. 54. citans desuper S. Congreg. Concil. declar. Porro de sufficientia arbitrabitur Ordinarius. Garc. n. 52.

2. Respondeo secundò: sed neque acquiritur juspatr. ex simplici donatione, legato vel largitione bonorum, etiam dum hæc aliàs essent dos sufficienter; nisi forte hæc donatio fieret tacite pro dote; quia simpliciter donans vel legans videtur potius benefactor quàm dotator; & jura indulgent juspat. non benefactori, sed dotanti. Pirh. n. 10. Garc. n. 60. citans Lamb. p. 1. l. 1. q. 6. a. 1. Roch. v. dotavit. q. 6. Zechum de benef. c. 12. n. 12. & plures Rotæ decis. contra Menoch. de præsumpt. præsumpt. 90. n. 6. dicentem acquiri juspatr. ex dotatione.

3. Respondeo tertio: parum de cetero refert num dotatio antecedit, an subsequatur Ecclesie constructionem ad hoc, ut patronatus obtineatur. Neque obstat, Ecclesiam adhuc non esse, quòd minus dotis capax non sit, quia capax est, non ut tunc ei acquiratur, sed ut acquiratur pro tempore, quo perfecte constructa sit, Castrop. loc. cit. n. 6. Quin & Ecclesia incepta statim capax est dotis, & sic dos assignata & donata ante positionem primi lapidis, statim post illius positionem ei acquiratur absque traditione. Garc. n. 48. Nec obstat, quòd Ecclesia construenda, quæ non est, non possit fieri donatio. c. Abbate. de re. judic. in 6. id namque non procedit in donatione causâ mortis (sicut & Ecclesia nondum exstructa potest hæres institui, & ei relinqui legatum. c. 3. de restam. ibid. Abb. n. 2.) quæ rectè potest fieri Ecclesie construenda, non solum obligando se dotaturum & traditurum; sed etiam statim assignando & donando bona pro dote. Garc. nu. 49. & 50. citans Lamb. l. 1. p. 1. q. 5. a. 20. Roch. v. dotavit. q. 7. Quin & addit Lamb. apud Garc. Quòd si dos daretur in limine foundationis vel post, ante tamen consecrationem & etiam ante perfectionem ædificii, adhuc locum fore exercitio juris. ut præstetur Rector, saltem pro administranda dote, licet non quòd ad alia.

Questio 43. Num igitur etiam ex dotatione facta Ecclesia jam constructa & consecrata, dum esset sine dote, acquiratur jus patronatus.

Respondeo affirmativè: modò id fieret cum consensu Episcopi. Abb. inc. quoniam. h. t. n. 9. Roch. v. & dotavit. q. 2. & 3. Selva. p. 1. q. 5. n. 181. Azor. p. 2. l. 6. c. 19. q. 8. quos citant & sequuntur Garc. cit. c. 9. n. 55. Castrop. cit. p. 2. n. 7. quia talis absolute dotat Ecclesiam, & quidem dotatione maximè necessariâ, & dos subsecuta Ecclesie constructionem favore Ecclesie reputatur, ac si illius constructionem antecederet; quia retrahitur, ut dictum. Castrop. ibidem inquires: sic quoque videri definitum à Trid. sess. 14. c. 12. Neque obstat declarationes S. Congreg. (quas vide verboreus recitatas à Garc. n. 57. & 58.) utpote quæ loquantur de parochia erecta ob necessitatem populi, cui Ecclesia matrix tenetur providere, ita ut hæc provisio loco dotis liberalis computanda non sit; cum debita sit. Contrarium tamen sentientibus Gl. inc. pietatis. ibid. q. 7. & Felin. in c. cum venerabilis. de except. n. 37. Eò quòd Ecclesie consecrata nequeat imponi servitus; quod de servitute profana rebus sacris non imponenda, non verò de Ecclesiastica, & quidem de patronorum Ecclesie consensu imponendâ bene procedere, ait Castrop.

Questio 44. An, & qualiter ex augmento dotis acquiratur juspatr.

Respondeo: ex augmento secundum jus commune, sive vi juris communis non acquiritur patronatus; quia augens dotem non dotat, quia supponit Ecclesiam jam dotatam. Barb. cit. c. 12. n. 56. citans plures, uti & citata alleg. 70. n. 15. Gonz. gl. 18. n. 53. Ricc. in pr. resol. 150. Garc. loc. cit. n. 122. apud Castrop. loc. cit. contra Menoch. l. 3. cons. 241. n. 14. tenentem, acquiri juspatr. ex augmento dotis, quando Ecclesia pa-

rum habet, & non est commodè dotata. Et in id ipsum inclinare Abbatem & Lamb. ait Garc. n. 123. pro quo etiam facere videtur Trid. *sess.* 14. c. 12. sed intelligendum de jurep. acquisito in illo casu per privilegium Papæ, ait *ibid.* Garcias, Idque procedit etiam si ob hanc causam ex consensu Episcopi concedatur, cum Episcopus nequeat ob dotis augmentum hanc servitutem beneficis imponere, ut satis colligitur ex Trid. *sess.* 25. c. 9. Castrop. *cit.* n. 6. & apud illum Barb. l. c. n. 16. Addit Lott. l. 2. q. 8. n. 31. id adhuc procedere, qualecunq; & quodcunq; illud augmentum fuerit, nisi in totum dos deficiat vel sit perempta; tunc autè intelligi in totum defecisse, si ad eam quantitatem sit redacta, quæ propter suam exiguitatē prorsus sit incongrua; & tunc adhuc acquiri patronatum ex augmento etiam secundū juris intentionem; cum paria sint: non habere dotem, & habere planè incongruam & in sufficientem. Ita Lott. n. 32. citans Lamb. p. 1. l. 1. q. 6. n. 6. n. 7. Socin. l. 1. *conf.* 108. n. 4. *Et* hoc fortè voluit Menoch. & alii apud Garc. *cit.* c. 9. n. 132. de quibus paulò antè. In hoc tamen casu, ait idem Lott. n. 33. necessariam esse expressam declarationem dotantis sive augentis, quâ declaret ea se contribuere in causam dotis seu augmenti dotis; eò quòd licèt fundans vel dotans Ecclesiam absque alia declaratione, sed simplici juris ministerio acquirat patronatum; ubi tamen versamur in accessione dotis per augmentum, nisi id exprimat, censetur facta ista augmentatio gratiâ bene merendi seu benefaciendi simpliciter; non autem acquirendi patronatum stante præexistentiâ beneficii semel dorati juxta Abb. p. 1. *conf.* 59. n. 2. Quare licet necesse non sit, ut dicat, se id facere, ut patronatum acquirat, est tamen necessarium ut dicat (vel saltem declaret sufficienter, uti fit, dum adhibet ad hanc largitionem consensum Episcopi, utpote quæ concludit ad mentem dotandi, & inde acquirendi patronatum Lott. n. 36.) se conferre ea in causam dotis, quæ expressio seu declaratio infert mentem acquirendi patronatum, & sic eam consequitur acquisitio juris. etsi hoc expressè non reservetur, modò non remittatur Lott. n. 34. & 37.

2. Verum limitat hanc ipsam doctrinam Lott. num. 43. dum ait, in hoc casu augmentationis dotis resultationem seu concessionem juris. adhuc referendam esse ad jus singulare, & ex privilegio Apostolico; nimirum Papæ tunc, dum augens declaravit, se ideo augere, ut patronatum acquirat, eo intuitu talem concessionem faciente, non verò ad jus commune & illius effectum, secundum quod ex solo augmento, qualecunq; & quodcunq; illud sit, juspat, non quaritur; & hoc voluisse Rotam *decis.* 457. p. 1. *divers.* num. 14. dum ait: tunc demum dici dotationem æquivalere jurisp. quando in totum Ecclesia dotatur; non quando dos solùm augetur. Porro qualiter nihilominus hoc privilegium, cui est respectivum beneficium laici in Ecclesiam, seu quod concessum est ex istiusmodi causa onerosa, differat à simplici privilegio, & qualiter non derogetur istiusmodi patronatibus, aut cadant sub reservationes Apostolicas per tale privilegium quæ sit ex justo augmento dotis, vide apud Lott. *cit.* q. 8. *fere per totum, maxime num.* 56. de quo infra, ubi de reservatione & abrogatione juris.

* *

Quæstio 45. An, & qualiter jusp. acquiratur ex privilegio?

1. Respond. primò: acquiri etiam jusp. potest, vel dorari Ecclesiam vel beneficium, ex privilegio, prout privilegium sumitur propriè, pro eo, quod conceditur per principem contra jus commune quasi lex privata. c. *Abbate. de verb. signif.* Lott. l. 2. q. 7. num. 20. & in corpus juris relatum non est; gratia siquidem qualiscunq; inclusa in corpore juris privilegium non dicitur. Lott. *ibid.* num. 21. sic conceditur ex privilegio mero, seu mera gratias; dum Papa concedit illud alicui de Ecclesia seu Christiana republica bene merito ex mero titulo lucrativo, & non ex causa onerosâ. Corrad. *in pra. benef.* l. 4. c. 4. n. 36. Castrop. *cit.* p. 2. n. 10. Azor. l. o. c. i. q. 12. cum enim Papa liberam habeat in beneficiis administrationem, potest ob bonum Ecclesiæ hoc onus quibusdam beneficiis imponere: si enim fundantibus Ecclesiis patronatum concedit; cur non concedere poterit aliis de fide republicæ Christianæ bene meritis? Castrop. *ibid.* Unde jam quamvis Papa quandoque concedat patronatum, etiam ex vera & reali fundatione & dotatione, ut pluries in Curia observatum esse testatur Corrad. *ibid.* num. 37. v. g. Papa loco Ordinarii tanquam Ordinarius Ordiniorum tempore fundationis consensu suo reservatum à fundatore sibi jusp. autorizavit; non tamen ex eo dici potest talis concessio esse ex privilegio Papæ; Corrad. *ibid.* Secus tamen est, ubi etiam ipse fundator post fundatam à se in libertate Ecclesiam assequeretur à Papa jusp. illius; diceretur enim illud obtinere ex vero privilegio. Lott. l. 2. q. 7. num. 17. citans *decis.* Rotæ 564. num. 10. p. 4. *recent.* Nihilominus etiam esse potest, ut jusp. existat ex fundatione vel dotatione, & tamen ejus concessio sit ex privilegio; dum nimirum necesse est, ad Papam pro illius erectione & concessione recurri; utpote sine cujus speciali consensu ea concessio fieri nequit, uti contingit v. g. in beneficio regulari, in ordine ad effectum præsentandi prælatum in Ecclesia conventuali juxta c. *et enim.* 16. q. 1. & gl. & dd. communiter in c. *nobis h. t.* Corrad. *cit.* num. 37. quia tamen tale privilegium à fundatore & dotatione dependet & ei connexum est, non dicitur merè gratiosum. Corrad. *ibid.* ex Puteo *de iur.* 569. n. 1.

2. similiter ex privilegio non mero conceditur patronatus, dum conceditur à Papa ob augmentum dotis; dum nimirum augmentum illud accedit ad medietatem veri valoris, ut Lott. *cit.* q. 8. num. 59. sed ex causa onerosa. In genere autem ad hoc, ut privilegium sit ex causa onerosa, spectari debet, an illud, quod expensum fuit, æquivaleret concessioni; quia ubi non æquivaleret concessio, ipsa judicari debet potius gratiosa, quàm onerosa. Barb. *cit.* c. 12. n. 65. citans de super *decis.* Rotæ.

3. Porro patronatus concessus cum clausula, *si esset ex fundatione*; non excludit privilegium. Corrad. l. 2. c. 15. num. 141. Ac denique observandum, ut privilegium, per quod conceditur alicui jusp. à Papa, sit ratum & firmum, necesse esse, ut addatur clausula, saltem in genere, derogatoria Tridentini, utpote per quod istiusmodi privilegia prohibentur & sublata sunt, de quo paulò post: Pirh. *cit.* num. 12. citans Azor. Castrop.

loc. cit.

Quæstio

Questio. 46. Num simile privilegium concedere possit Episcopus?

Respondeo: patronatus tam ex privilegio taliter, quam ex dicta causa operosa augmenti dotis concedi nequit per Episcopum, aliòve praelatos Papà inferiores, juxta c. 2. de reb. Eccl. non alienand. Corrad. l. 4. c. 5. n. 24. Lott. loc. cit. n. 18. q. ult. Pirh. n. 12. Castrop. cit. n. 10. citans Barbof. ubi supr. alleg. 70. n. 25. & Abb. volum. 2. conf. 106. n. 4. Garc. cit. c. 9. n. 128. citans Lamb. item declar. S. Congreg. concil. de 2. April. 1573. super c. 9. sess. 25. quæ sic habet: *Jus patr. ex privilegio Episcopi concessum, in cujus pacifica possessione existerint prateni patroni per annos 140. non prodest; cum enim constet de titulo ex privilegio invalido, centenaria possessio prodesse non potest ob malam fidem &c.* Nequit enim Episcopus gravare beneficia & servituti patronatus subijcere. Castrop. quod efficacius procedit spectato jure novo. Trid. l. c. Unde licet permissum sit Episcopo, beneficium liberum unire beneficio juris patr. in casu permissa sibi unionis in genere; hoc tamen rahi non potest in consequentiam facultatis concedendi patronatum in beneficio libero; quia hoc est reducere beneficium liberum in servitutem; illud verò est extinguere essentiam beneficii, constituendo illud tanquam prædium alterius beneficii, cui unitur. Lott. l. c. n. 18. juxta decis. Rot. 222. n. 2. p. 2. recent. vide eundem de hoc l. 1. q. 28. n. 268.

Questio. 47. An, & qualiter jus patr. acquiri possit per prescriptionem?

Respondeo primò: si sermo sit de Ecclesia collegiata & cathedrali (idem est de Ecclesia regulari conventuali) spectato jure communi, jus patr. à laico, etiam si is eam fundarit, præscribi nequit quò ad præsentationem Rectoris seu Prælati illius; quia hic jure communi non nisi per electionem constituendus est; Castrop. cit. p. 2. n. 12. citans Azor. p. 2. c. 19. q. 11. Barb. p. 3. de potest. Ep. alleg. 70. n. 19. Jo. And. in c. querelam de elect. in 6. Covar. &c. Quòd si autem juri isti communi, quo rector talis Ecclesiæ non nisi per electionem constituendus est, derogatum sit, sicut ei derogatum testatur Castrop. in Hispania, Gallia, Belgio, fundans Ecclesiam collegiatam obtinebit jus præsentandi in ea Rectorem. Castrop. *ibid.* & quò ad præsentem quæstionem pari forte venit cum aliis Ecclesiis. Unde

2. Respondeo secundò. Si sermo est de Ecclesiis aliis, vel etiam de dictis collegiatis, in quibus derogatum electioni aliòve beneficii, etiam dum constat dictas Ecclesias & beneficia subjecta non fuisse, sed nata in statu libertatis, præscribi potest à laico jus patr. Laym. ad c. querelam de Elect. n. 4. Castrop. loc. cit. n. 11. & A. A. ab eo paulò ante cit. Lott. l. 2. q. 7. n. 29. & seq. citans Federic. de fenis conf. 234. n. 1. Paul. de Citadin. tr. de jure patr. p. 3. caus. 5.

3. Ad hanc autem prescriptionem requiruntur 40. anni cum titulo, vel immemorialis sine titulo. Castrop. nu. 12. citans Covar. hæc enim præscriptio nequit esse sine titulo aliquo vero vel ficto; aliàs possidens malà fide possideret, ad eoque nunquam præscriberet; sed hic titulus si verus est, debet esse ex fundatione, vel dotatione, vel ex privilegio; præsumi autem & prætendi nequit ex fundatione, adeoque nec prætendi acquisitio juris patr. ex jure communi, dum supponitur seu constat, Ecclesiam fuisse liberam (prescriptionis enim vis consistit in præsumptione, qua quantum-

cunque sit à lege approbata, cedit continud veritati, ubi ea apparet. Lott. loc. cit. n. 32. Unde evadit ridiculum, & manifestam importat implicantiam, asserere beneficium ab immemoriali esse patronatum, & constituere initium illius in libertate, seu constare de ejus libertate, non secus ac eandem mulierem admittere eodem tempore & viduam & nuptam. Lott. à n. 31. ad 38.) ergo debet esse & prætendi titulus ex privilegio. Jam autem etsi hoc privilegium ex sola quasi possessione præscribentis præsumi non possit; cum potius præsumi debeat beneficium liberum c. omnes Basilica. 16. q. 7. c. venerabilis de except. Possessio tamen immemorialis etiam hunc titulum privilegii facit præsumere, sive nil vetat, quòd minùs allegari tunc possit privilegium apostolicum. Lott. n. 34. juxta c. 1. de præscrip. in 6. & loco probati tituli habetur juxta c. super quibusdam de verbor. signif. & l. hoc jure. ff. de aqua quotidiana & est. Unde & ipsa immemorialis æquiparatur quadragenariæ cum titulo. Lott. *ibid.* ex Gomar.

4. Dum verò non constaret de initio beneficii, num illud in statu potius libertatis, quam servitutis fuisset erectum, jam etiam vi immemorialis prætendi & allegari posset titulus ex fundatione, dotatione &c; adeoque acquisitio patronatus esse ex jure communi, seu probari posset patronatus ex prescriptione, relatà etiam ejus vi ad causam fundationis vel dotationis. Lott. n. 42. ex Puteo. l. 1. decis. 106. n. 4. Porro non intelligitur jus patr. acquisitum vi prescriptionis; sed quia ex tali tempore immemoriali præsumitur titulus (juxta quòd dictum aliàs de jure decimandi,) & hoc est, quòd dicta immemorialitas vel centenaria habeat vim tituli, seu inducat titulum. Lott. n. 56. & seq. Dum autem dicitur: immemorialis aut centenaria; non ponuntur ut diversa; quia dum non constat de initio contrario, centenaria ipsa concludit ad immemorialem. Lott. n. 59. qui etiam n. 62. existimat, respectu adeò diuturna, nimirum centenaria prescriptionis 9. aut etiam 10. vel 11. menses videri dies paucissimos; quorum proinde defectus æstimandus non sit, quemadmodum aliàs in prescriptione breviorè 30. aut 40. annorum, utpote odiosa, requiritur etiam novissimus dies, ita ut si hic deficiat, præscriptio sit imperfecta, & non præscribatur. citat. Paril. conf. 32. n. 6. vol. 3. &c.

5. Respondeo tertio: si sermo est de Ecclesia subjecta servituti patronatus, jus patr. præscribi potest à laicis; quia jam non contra Ecclesiam; sed adversus alium laicum præscribitur. Azor. loc. cit. q. 11. Covar. reg. possessor mala fidei p. 2. ff. 10. n. 8. quos citat & sequitur Castrop. n. 12. dicens esse communem. Ad hanc prescriptionem Azor loc. cit. & Covar. loc. cit. citans pro hoc Corneum, Decium, Alexan. Lamb. Bald. &c. quadragenariam quasi possessionem requirunt, absque titulo tamen; eò quòd mutatio patronatus ex prima in aliam personam Ecclesiæ potest præjudicare; cum cadere posset in personam suspectam & Ecclesiæ minùs gratam: sufficere verò decennalem, aut inter absentes vicennalem, tenent Roch. v. ipse q. 30. n. 86. Jo. And. in c. unicum. h. r. in 6. Goffred. q. 18. quos refert, & sequitur Castrop; eò quòd dicta mutatio dici non possit esse contra Ecclesiam; cum æquè pro, quam contra Ecclesiam succedere possit, adeoque sufficere ad hanc prescriptionem tempus, quòd ad alias prescriptiones contra laicos sufficit. Verùm hæc, ut idem Castrop. jungit n. 13. spectato jure antiquo; cum attento Trid. sess. 14. c. 12. & sess. 25. c. 9. absolute omnes patrona-

tu;

tus acquisiti aliter, quàm ex fundatione (cujus nomine etiam venit constructio. Gonz. gl. 18. n. 52.) vel dotatione Ecclesie, vel ex præscriptione immemoriali, seu quoties præscriptio non est talis, ut titulus verus fundationis allegari valeat, sublatis sint Card. de Luca in sum. de jurepatr. n. 9. Gonz. loc. cit. n. 57. Lott. cit. q. 7. n. 30.

PARAGRAPHVS III.

De iurispatr. jam constituti in alios translatione.

Questio 48. Quot modis juspatr. ab uno in alium transferri possit.

Respondeo quatuor: nimirum successione, sive jure hæreditario, vel ex testamento, donatione, permutatione, venditione, Gl in c. pie mentis. 16. q. 7. Castrop. cit. tr. 13. d. 2. p. 4. n. 1. Barb. de pot. Ep. alleg. 71. n. 1. Azor. p. 2. l. 6. c. 20. q. 4. Pirh. n. 44. ad h. t. Corrad. pr. benef. l. 4. c. 5. n. 1.

Questio 49. Iuspatr. hæreditarium ad quos hæredes, & qualiter transeat?

1. **R**espondeo ad primum: dum fundator sibi simpliciter reservavit juspatr. censetur id reservasse pro suis hæredibus: si reservavit illud simpliciter alteri, censetur reservatum pro hujus hæredibus, ita ut in hoc secundo casu non redeat juspatr. ad hæredes fundatoris. Lott. lib. 2. q. 11. n. 22.

2. Respondeo secundò: transit juspatr. sic reservatum simpliciter hæredibus ad quoscunque hæredes, sive hi sint ex testamento, sive ab intestato: sive sint consanguinei, sive extranei; quia transit cum hæreditate, juxta c. cum saculum. h. t. Castrop. loc. cit. n. 2. citans Franc. Leon. in thes. fori Eccl. p. 2. c. 6. n. 25. Barb. ubi ante n. 3. Azor. Riccium &c. sive sint masculi, sive sint femina. Castrop. ibid. Garc. p. 5. c. 9. n. 142. Lott. n. 25. Azor. loc. cit. ita ut si femina succedat in majoratu, succedat etiam in jure patronatus majoratu annexo. Molin. to. 3. de just. d. 627. n. 13. & alter Molin. de primogenit. l. 3. c. 6. n. 41. Garc. n. 145. apud Castrop. loc. cit. quapropter, cum sequatur semper hæreditatem, transeatque cum illa, per ingressum hæredis quæritur monasterio. Lott. n. 26. citans Lamb. l. 1. p. 2. q. 2. art. 25. Et filius renuntians hæreditati illud non acquirit. Castrop. n. 3. Barb. ubi ante n. 4. Idem est de filia solâ dote contenta. Pirh. n. 44. Et si pater instituat filium in certa re, extraneum verò hæredem universalem scripsit, juspatr. non ad filium, sed ad illum extraneum transibit; quia transit cum universitate bonorum, quam hæreditas continet; & institutus in certa re habetur loco legatarii. Pirh. ibid. Azor. cit. c. 20. q. 9. Secus tamen esset, si institutus esset in certa re, quæ continet universitatem v. g. in villa, castro &c. cui juspatr. annexum; hoc enim cum illa re transit quoque ad institutum, Pirh. ibidem. citans Canif. inc. 1. h. t. n. 5.

3. Respondeo tertio: casu quo multi sint hæredes, omnibus competit æqualiter, licet sint inæqualiter, hoc est, in portione inæquali hæredes; cum jura incorporalia sint indivisibilia, possentque proinde æqualiter præsentare. Debetur item omnibus locus honorificentior, omnibus in egestate consti-

tutis alimentum, cum hac tamen differentia, ut alimenta & locus honorificus debeatur cuilibet in solidum, ac si cum alio in patronatu non communi- caret; præsentare autem non sic competat cuilibet, sed simul cum aliis; cum jus nominandi in omnibus patronis sit indivisibile. Castrop. ibid. ex Azor. loc. cit. q. 9. Pirh. n. 45. cæterum ut facilius provideretur Ecclesiis, & discordiæ evitentur, quæ facile oriri possunt, dum unus patronorum hunc, alius alium vult præsentare, permixtum est in clem. plures, h. t. ut patroni juspatr. dividant inter se ratione temporis, sive liberè (hoc est sine superioris auctoritate, ut Gl in c. clem. v. liberè) conveniant de rectore alternis vicibus se præsentando: ita ut unus præsentet primâ vice, quâ Ecclesia vacat, alter secundâ, tertius tertîâ vice &c. vel dividendo annos aut menses, vel ut dictam divisionem influant ratione locorum seu Ecclesiarum, dum juspatr. extendit se ad plures Ecclesias vel beneficia; & ita conveniant inter se, ut primus eorum in hac, alter in alia Ecclesiâ præsentet. Pirh. n. 46.

4. Respondeo quartò: in hoc jure præsentandi hæredes non succedunt in capita, sed in stirpes. clem. plures, h. t. Lott. loc. cit. n. 126. Pirh. n. 47. Castrop. & Azor. il. cit. Barbof. alleg. 72. n. 70. Tiraq. de jure primog. q. 36. n. 3. Gratian. discip. for. c. 521. Ita ut si fundator, v. g. relinquit 3. filios, Petrum, Joannem, & Jacobum, inter quos hæreditas dividatur; hi 3. filii simul habent jus præsentandi, non quilibet seorsim ab aliis, ita ut ex tribus eorum nominationibus seu suffragiis una confurgat valida nominatio seu præsentatio. Hi filii habent deum plures inæqualiter filios, Petrus unum, Joannes duos, Jacobus tres, hi tres filii Jacobi habent unum tantum suffragium, quod non excedat suffragium & nominationem factam à duobus filiis Joannis, vel ab uno filio Petri; quia hi filii omnes nominant, non ut suas, sed ut personas parentum repræsentant. Castrop. loc. cit.

6. Respondeo quintò: dum hac ratione cum universitate bonorum successione nimirum hæreditatis transferatur juspatr. opus non est consensu Episcopi ad hanc translationem, Corrad. pr. benef. l. 4. c. 5. n. 1. citans Barb. de potest. Ep. alleg. 71. n. 2. Vivian. de jurepatr. l. 4. c. 1. n. 2. Mantica. decis. 140. n. 2.

6. Porro Castrop. loc. cit. num. 6. incidenter hanc movet quæstionem: quòd si Titius relinquit tres hæredes, unum eorum gravet (calu quo gravare potest) ut ex quota seu parte hæreditatis sibi relicta ædificet Ecclesiam, isque id faciat ex consensu Episcopi, num juspatr. in eo casu quæratæ soli ædificatori, an verò & ceteris hæredibus simul. Respondetque, sibi videri, quæri illud soli ædificatori; quòd is ex bonis sibi per hæreditatis divisionem jam propriis privativè, etsi sub isto gravamine ædificandi Ecclesiam, & non ipse Titius parens, ut censet, & propterea contrarium tuetur Covar. l. 2. var. resol. c. 18. in fine. Adeoque alii cohæredes illius cum eo in patronatu participare nequeunt. Aliud foret, si Titius ex suis bonis segregaret quantitatem sufficientem Ecclesie construendæ, & alicui suorum hæredum ædificationem committeret; tunc enim omnes Titii hæredes patronatum consequerentur; quia jam nomine Titii Ecclesia ædificatur, & ex illius bonis formaliter.

* * * *

* *

*

Qua-

Questio 50. Utrum etiam juspatr. hereditarium transeat ad fidei commissarium, vel usufructuarium universalem seu omnium bonorum?

Respondeo primò: juxta sententiam communiorem hoc juspatr. non transit ad fidei commissarium, sed remanet penes heredem directum, eò quòd juspatr. hereditarium videatur sequi heredem, non alium; sitque non minùs religiosum, & non respiciat commodum pecuniarum, quàm jus sepulchrorum, quòd juxta *l. quia proinde. ff. ad Trebellian. s. c. restituta* hereditate remanet apud heredem, videatur idem de eo dicendum, quòd de patronatu libertorum, qui juxta *l. si patroni. ff. ad Trebellian.* penes heredem gravatum manet, & nequaquam transit ad fidei commissarium. Ita sentiunt Covar in *c. Raynatus. de testam. n. 8. & l. 2. var. res. d. c. 18. n. 2. Barb. in c. l. h. r. apud Pirh. num. 54. Lott. l. 2. q. 11. n. 37. citans pro hac sententia num. 29. Barth. in l. quia proinde. §. si restituta & n. 33. Bald. in l. final. c. de edito divi Adrian. Lamb. Fusarium, Riminald. & c. dicens esse sententiam communem.*

2. Contrarium nihilominùs teneant Molin. de primog. cap. 24. à num. 7. & alter Molin. de just. d. 118. in fine Gurtier. de tutor. p. 3. c. 29. n. 15. apud Castrop. loc. cit. n. 4. Zoëlius ad h. r. n. 22. & de usufructuario universali expressè Corrad. lib. 4. c. 5. n. 1. Barb. Jur. Eccl. l. 3. c. 12. n. 232. citans Campan. Cenedum Riccium & c. eò quòd ad fidei commissarium universalem transit hereditas, adeoque & juspatr. ei annexum: cui non obstat, ut Pirh. n. 55. quòd in hoc casu Juspatr. non acquiritur jure hereditario; nam suapte naturà sequitur eum, ad quem bona universalia transeunt, non tanquam aliquid hereditarium, sed tanquam aliquid annexum rerum universitati, cum qua transit. Item quòd usufructuario universali conceduntur omnia jura realia & personalia utilia, potè tunc juspatr. alienari inter vivos titulo universali, adeoque & ex testamento. Castrop. *ibid.*

3. Mediam viam ingreditur Castrop. citans pro se Garc. pag. 5. cap. 9. num. 18. admittitque juspatr. hereditarium reale, nimirum quòd annexum est alicui villæ vel castro, translato in fidei commissarium castro, transire simul in illum tanquam accessorium. Nec obstat citatas leges, cum magna sit disparitas inter jus sepulchrorum, & inter juspatr. libertorum, & inter jusp. de quo hic, ut videre est apud Molin. de primog. Jus verò patronatùs personale negat transferri in fidei commissarium aut usufructuarium universalem; eò quòd illud transferri non possit contra voluntatem institutoris; is autem id applicuit Titio, ejusque heredibus & successoribus, quo nomine non venit fidei commissarius vel usufructuarium universalem. Insuper hæres gravatus restituens hereditatem fidei commissario non propriè hereditatem, sed bona per hereditatem accepta restituit; neque cum fidei commissarium heredem facit; adeoque fidei commissarius & usufructuarium per hanc restitutionem non fiant hæredes, ergo nec patroni.

4. Unde etiam ad fundamentum oppositæ sententiæ responder, negando hereditatem formaliter talem transferri ad fideicommissarium, sed solum hereditatem materialiter, hoc est bona hereditatis; jus verò patronatùs hereditarium annexum esse solummodo, & sequi hereditatem

formaliter talem. Similem distinctionem vide apud Lott. loc. cit. n. 35. ubi ex Paulo à Castro ait, per hereditatis restitutionem factam fideicommissario non transire feuda, ut potè quæ non sint ut res hereditaria; sed propter hereditatem, hoc est, non sunt jura hereditaria, seu non habentur jure hereditario, habentur tamen & deveniunt ad heredem occasione hereditatis. Unde videndum, an, quòd de facto transit ad heredem, acquiratur ei alio titulo, quàm hereditario v. g. ex pacto & providentiâ majorum, ut in feudo, & in ipso etiam iure sepulchri, si familiare est.

5. Similiter ad alterum oppositæ sententiæ fundamentum dicit Castrop. fidei commissario & usufructuario universali competere omnia jura realia & personalia, quæ hæredi competunt ob bona hereditatis; non verò ea jura, quæ competunt hæredi præcisè iure sanguinis vel successione; jus autem patronatùs hereditarium personale habeatur non ex bonis acceptis, sed ex sanguine, vel ex successione; ac proinde non communicato sanguine vel successione transferri nequit. Ac denique est juspatr. personale etiam ex testamento legari possit, vel etiam expressè constitui ab institutore, ut obveniat quoque cum universitate bonorum fideicommissario, ut Garc. apud Pirh. loc. cit. non tamen sic censeatur ab eo institutum, aut juspatr. alienatum & legatum, eo ipso quòd fidei commissarium aut usufructuarium universalem constituerit. Ita Castrop. Idem vult Lott. cit. n. 37. dum ait: Rotam in una Maceraten. jurispatr. 5. Decemb. 1625. adhærentem huic sententiæ negativæ agnovisse tamen, id non esse ex natura rei; quia nimirum patronatus sit intransmissibilis ad fideicommissarium; sed provenire id ex mente testatoris, quin & ut Card. de Luca. de jurispatr. d. 56. n. 4. ubi agitur de fidei commissio universali, utrum in eo includatur juspatr. & sic transeat ad fideicommissarium, est quæstio potius voluntatis quàm potestatis, & d. 60. n. 3. quæstio ista est puri facti, & ambiguae voluntatis, certam & determinatam regulam non recipiens. Unde etiam, ubi non solum de expressa, sed etiam tacita & conjecturali voluntate testatoris constat, facile & levibus etiam ex conjecturis receditur ab illa regulâ: juspatr. non transire in fidei commissarium, quam ait rotam & curiam potius in quandam reverentiam antiquitatis tenere, quàm quòd probabilis ratio aliqua sic suadeat.

Questio 51. Num juspatr. transeat quoque ad creditorem, cui datum est pignus universaliis bonorum, in qua existit juspatr.

Respondeo negativè. Bart. juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 237. citans Lamb. l. 1. p. 2. q. 9. art. 2. n. 3. Cened. qq. cam. l. 1. q. 10. m. ult. Roch. v. ipse. n. 60. Garc. p. 5. c. 5. n. 10. & 11. Castrop. cit. p. 4. n. 14. Corrad. l. 4. c. 5. n. 3. juxta c. cum Bertholdus. de sent. & res. judic. nam uti rei oppignoratæ, ita nec istius jurispatr. dominium ullum aut possessio in creditorem transfertur; sed solum nuda detentio, usque dum debitum persolvatur à domino; ad faciendam autem præsentationem, dominium vel saltem possessio istius jurispatr. requiritur juxta c. querelam. de elect. & c. consultationibus. h. t. Barb. loc. cit. sed nec ex actione pignoratitia transfertur in creditorem jus utendi pignore, quia pignus conceditur solum ad debiti securitatem, ac proinde omnis usus pignoris, qui huic securitati non obest, remanet debitori: usus autem

autem patronatus nequaquam obest securitati debitori Castrop. *cit. n. 14.* quin & licet creditor talis ex re oppignorata sibi fructus aliquos percipere valeat; & presentatio ipsa sit quidam fructus jurispatr. presentare tamen non potest creditor, ut constituitur *cit. c. cum Bertholdus*, juncta gl. nam creditor, si percipit fructus, hos percipit nomine debitoris, eoque soluto debito tenetur restituere, vel in sortem computare, seu cum credito compensare juxta *c. 1. & 2. de usuris*; fructus autem, qui consistunt in presentatione, nec debitori possunt restitui, neque cum credito compensari, *Corrad. loc. cit.* Porro qualiter, dum conventionem factam cum creditore de facienda per eum presentatione, dum ea per illum facta est, nulla committatur usura, cum usura reperitur in receptione rei pretio aestimabilis, vide apud Barb. *loc. cit.*

2. Quod dictum de creditore, idem ob eandem rationem est de depositario, penes quem depositum castrum, cui annexum juspatr. ut pote cujus nec dominium, nec possessio in eum transit. Barb. *loc. cit. num. 230.*

Questio 52. Vtrum juspatr. transeat in conductorem castri vel villa, cui annexum est?

Respondeo: juxta communioem, quam tenent Abb. in *c. ex literis. n. 5.* Lamb. *l. 1. p. 2. q. 8 art. 2.* Roch. *v. ipse q. 26. n. 54.* Molin. *de primog. l. 1. c. 24. n. 2.* Menoch. *conf. 90.* Riccius *resol. 192. n. 2.* & alii apud Barb. *loc. cit. n. 225.* Item Garc. *p. 5. c. 6. n. 10.* transire in illum, dum locatio facta ad longum tempus; secus si ad breve; id enim velle videtur textus *c. ex literis.* dum ait: *juspatr. transire in conductorem villa data ad firmam.* Facit etiam, quod locatio ad modicum tempus nullum dominium, nullamve possessionem transferre soleat, ut docet J. c. in *l. non solet. ff. locati*; uti facit locatio ad longum tempus, puta decennium. Unde etiam censet. Garc. *loc. cit. n. 11.* contra Zerol. in *pr. Ep. p. 1. v. juspatr. du. 8.* adhuc non transire in conductorem locacione facta ad breve tempus, etiam si aliter inter conductorem & dominum cautum seu conventum sit. Putant tamen plures cum Paul. a castro *vol. 1. conf. 262.* textum illum *c. ex literis* procedere solum, ubi translatum est dominium utile; nimirum cum datur in feudum sive emphyteusim, tunc enim firmam ibi importare emphyteusim, Barb. *loc. cit.* Nec desunt, qui velint idem esse, dum castrum ad modicum tempus locatur, & de hoc quoque procedere dispositionem *c. ex literis*, ideo quod per locacionem etiam ad modicum tempus transeat commoditas rei locatae in conductorem, ita ut liceat ei uti, frui re locata, adeoque etiam transire jus presentandi, seu presentacionem, quae est fructus quidam jurispatr. quemadmodum etiam per locacionem beneficii ad modicum tempus jus decimandi forte annexum beneficio transit in conductorem; pro hac sententia citat Barb. *gl. in cit. c. ex literis v. ad firmam.* Host. *vid. Zabarell. q. 1.* Campan. *rub. 1. c. 13. n. 358.* Et sic sentit Castrop. *cit. p. 4. n. 13.* tametsi *d. 2. p. 28. n. 8.* dicat conductorem proprie talem non posse beneficia conferre, quia adest Dominus qui conferat, & in conductione non intelliguntur fructus spirituales concedi, citatque pro hoc Azor *p. 2. l. 6. c. 25. q. 18.* Guttier. *de tutel. p. 3. cap. 29. num. 16.*

Questio 53. Vtrum castro aut bonis sequestratis, quibus annexum juspatr. illud transeat ad sequestrum, ita ut is, dum durante sequestro vacaverit beneficium, cujus presentatio ad sequestrata bona pertinebat, presentare possit?

Respondeo affirmative: Barb. *loc. cit. n. 233.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 23. n. 17.* Reginal. in *pr. fori penit. l. 30. t. 2. n. 245.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 25. q. 17.* Ricc. *tr. de noviss. probat. jurispatr. resol. 192. n. 7.* & Garc. *p. 5. c. 6. n. 1.* citans Lamb. *p. 2. l. 1. q. 9. art. 3.* Gigas *de pens. q. 72. n. 3.* Coraf. *de benef. p. 2. c. 6.* Guttier. *l. de tutel. 3. p. c. 7.* (qui etiam cum Lamb. id admittit, etiam si juspatr. de per se sequestratur) & plures alios. Idem est de sequestro dignitatis, beneficii quibus annexa est alicujus beneficii provisio. Castrop. *d. 2. p. 28. n. 5.* non solum enim quod ad temporalia, sed etiam quod ad spiritualia est administrator rei sequestratae, eisque fructus colligit, quibus ut dictum, annumeratur presentatio.

2. Nec obstat, quod dictos fructus colligat nomine alieno, propter quod dictum supra juspatr. non transire ad creditorem, cui castrum oppignoratum; nam sequester administrat & exercet omnia jura rei sequestratae, non quidem nomine illius, qui in causa victurus est, eoque sub lite est, & proflus ignoretur, quis victurus sit, sed nomine judicis & superioris (nimirum, dum sequester est necessarius) qui illum verum administratorem constituit. Nec potest tunc Dominus ea exercere, adeoque nec presentare; creditor autem pignoris ideo non potest presentare, quia adest persona legitima, quae presentet, nempe verus Dominus. Garc. *cit. n. 1. & n. 6.* Nec etiam obstat, quod sequester debeat fructus rei sequestratae reservare victori; hoc enim verum est de fructibus, qui servari possunt, & ex quorum perceptione sequester redditur ditior, qualis fructus non est provisio beneficii. Castrop. *cit. p. 28. n. 6.*

3. Verum tamen haec procedere in sequestratione voluntaria, quae fit voluntate & consensu partium (utpote in qua possessio transit in sequestrum, secus ac in sequestratione necessaria, hoc est, quae fit auctoritate judicis, nisi expresse aliter cautum sit, ut cum communi Garc. *l. c. n. 18.* citans quamplur.) non verò in sequestratione necessaria, ait Barb. *loc. cit. n. 234.* citans Coraf. *l. 3. miscellan. c. 2. n. 12.* Carotium *de sequestro. p. 1. q. 4. n. 2.* & c. contrarium tamen docet probabilius Castrop. *loc. cit.*

4. Porro quod dictum, sequestrum posse presentare, intelligi debet supposita capacitate personae, Garc. *n. 14.* ita ut sequester laicus presentare nequeat, dum jus presentandi spectat ad Ecclesiam, praelaturam, beneficium, sequestrata; eoque quod quando laicus deputaretur sequester alicujus dignitatis vel beneficii, solum censeatur deputatus ad temporalia; secus dum alia bona temporalia sunt sequestrata, vel juspatr. laicale de per se sequestratur. Garc. *n. 15. & 16.* Castrop. *cit. p. 28. n. 7.*

5. Denique dum sequestratio Ecclesiae, de qua contenditur, facta non est, & pendente lite accidat vacatio, ad quem tunc pertineat jus presentandi, vide apud Garc. *n. 21.*

Questio 54. Vtrum juspat. transeat in feudatarium seu Emphyteutam, si castrum, cui annexum est, infundetur vel detur in Emphyteusim?

Respondeo affirmativè. Barb. loc. cit. num. 240. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 20. q. 12. Campan. loc. cit. num. 361. de per se autem dari nequit in feudum. c. cum secundum. c. ex literis. h. t. Barb. ibidem num. 241. Lamb. loc. cit. q. 2. a. 29. num. 35.

Questio 55. An publicatis & fisco additis omnibus bonis patroni ob crimen, jus quoque patronatus transeat ad filium, an vero remaneat apud filium illius aut heredes?

1. Respondeo: dum juspatro. reale est, seu annexum castro, vel aliis bonis, in dicto casu etiam transire ad fiscum secularem. Etsi enim Princeps secularis non possit per se ac directè privare patronum jurep. ob delictum patroni; quia laicus juspatr. habet non ex concessione Principis secularis, sed Ecclesie; si tamen bonorum universitas cui jusp. annexum est, confiscetur, tunc accessoriè & indirectè etiam jusp. ad fiscum transit, & nullatenus remanet apud filios aut heredes: non secus ac si inter duos laicos lis esset super bonis, quibus jusp. adheret dicta per judicem laicum, ad què cognitio spectat, de bonis sententià, ejus virtute consequenter jusp. transit in victorem.

2. Si verò jusp. est personale, seu per se, & singulariter consistat, non annexum ulli castro vel aliis bonis, tunc, cum sub confiscatione omnium bonorum non contineatur, remanebit penes delinquentem, donec is eo privetur per sententiam judicis. Garc. p. 5. c. 9. num. 26. & seg. citans Aufreum de potest. seculari. Reg. 4. Gigas & alios relatos per Lamb. & Roch. Barb. loc. cit. num. 238. seg. Pirh. num. 57. citans Abb. in c. cum laici. h. t. num. 3. Azor. dicto c. 20. q. 14. Barb. in c. ex literis. h. t. num. 9. Porro post latam sententiam privatoriam judicis Ecclesie juspat. hereditarium transmissibile ad heredes, etiam extraneos, exspirat, & Ecclesia manet libera, si verò jusp. est sanguinis, & pertinet ad familiam, transibit ad consanguineos juxta dispositionem fundatoris. Garc. loc. cit. num. 29. ex eo Pirh. cit. num. 57. Non secuta tamen dicta sententià privatorià jusp. hereditarium transit ad heredem ex testamento, vel ab intestato ipsius condemnati, eo defuncto, praterquam ob crimen heredis. in quo ipso jure existit privatus. Garc. num. 30. & 31. plura de hoc infra, ubi de amissione Iurisparronatus.

Questio 56. An, & qualiter jusp. hereditarium per hereditariam successionem transire possit ad monasterium seu religionem.

Respondeo: potest; idque duplici modo. Primò: Si monasterium bonorum in communi capax, instituat heres à patrono laico, tunc enim cum universitate bonorum hereditatis accessoriè transibit. Secundò: si patronus laicus fiat religiosus, per talem ingressum omnia ipsius bona acquiruntur monasterio, adeoque & jusp. Pirh. num. 59. citans Tamb. de jure Abb. ro. 3. d. 9. q. 28. num. 1. & efficitur Ecclesiasticum, ut dictum supra. Lott. l. 2. q. 11. num. 26. Si tamen Jusp. jure sanguinis delatum sit ad patronum, qui religio-

P. Lewren. Fori Benef. Tom. 11.

nem ingressusest, monasterium jus presentandi habebit tantum durante vità monachi, & post ejus obitum transibit ad illius consanguineos. Pirh. ibid. ex Tamb. loc. cit. num. 2. & Garc. p. 5. c. 1. n. 555.

Questio 57. An jus patronatus transferatur cum hereditate sine consensu Episcopi?

Respondeo affirmativè, quia transit cum universitate bonorum. Corrad. l. 4. c. 5. num. 3. citans Vivian. de jurep. l. 4. c. 1. num. 17. Roch. & c. Sic quoque non egetur consensu Ordinarii in fidei commissaria dispositione pro juspat. inclusione, sive dum ex mente testatoris transit in fideicommissarium universalem. Card. de Luca. de jurepat. d. 60. num. 4. Secus est de jurep. quod titulo legati, seu quovis titulo alio particulari transfertur in laicum; necessarius enim est tunc consensus Ordinarii. Corrad. loc. cit. num. 5. Non tamen is est necessarius, ubi principaliter & de per se transfertur in Ecclesiam vel locum religiosum. Corrad. num. 6. idem est de fidei commissio particulari, quod principaliter ac singulariter ordinatur super ipso jurep. in favorem, utpote quod importat idem, quod legatum, ac propterea & illius & donationis jure regulandum exigit Ordinarii consensum, de Luca. ibid. Non tamen, ubi agitur de jurep. reali, seu annexo castro, super quod principaliter substantiatur legatum vel fidei commissum, opus est hoc consensu; uti nec, dum ordinatur hoc fideicommissum principaliter super ipso jurepat. in favorem compatroni. vel Ecclesie. Card. de Luca. loc. cit. d. 56. num. 5.

Questio 58. An quasi possessio jurispat. seu presentandi (qualem habet patronus putativus, & qualis acquiri potest etiam ex unica presentatione, facta nimirum bonà fide & animo utendi jure suo, sciente & patiente illo, in cujus præjudicium queritur possessio & admissio, dum vi illius institutus rector, ipsi habitus tanquam rector in possessione Rectoria, de quo vide Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. à num. 186.) transeat ad heredes absque nova apprehensione?

1. Respondeo negativè. Barb. ibid. num. 19. citans plures Rota decisiones. Corrad. l. 4. c. 4. num. 17. dicens, hanc sententiam in notoria praxi receptam, & à Rota semper tentam. Item Card. de Luca in summ. juris. num. 84. dicens, non suffragari in hoc laicalia statuta decernentia, continuationem possessionis defuncti in heredem; cum non detur laicis potestas in hujusmodi spiritualibus decernendi. Contra Lamb. p. 1. l. 2. d. 22. q. 3. & Roch. eò quòd sicut in corporalibus possessio non transeat ad heredes, etiam suos seu non externos, siue nova apprehensione, ita nec in incorporalibus; quia cum possessio sit quid facti, & ea, quæ facti sunt, factum exigant, non potest transferri de una persona in aliam; nec dicitur acquisita, nisi corporaliter apprehendatur, adeoque nec in istis incorporalibus quasi possessio transit sine actu facti. Unde licet testator jam presentaverit semel modo dicto, tamen ista quasi possessio non est translata in ejus filios, aliòve successores seu heredes siue nova apprehensione, id est, sine novo usu seu exercitio juris presentandi, adeoque hanc quasi possessionem non potest

est prætere hères ex propria persona, dum nunquam præsentavit; cum possessio antecessoris non possit dici possessio successoris, sed diversa, ita ut illa, quæ fuit penes defunctum, fuerit extincta, & alia nova in hærede producta per actum proprii facti. ita Corrad. qui addit, hæc procedere stante etiam statuto de continuanda possessione in hæredem; certum enim esse, id sibi locum non vendicare.

2. Nihilominus dum possessio, non ratione personæ, sed ratione dignitatis vel officii aut beneficii quæ sita est, ipso jure in successorem transit, dum non personæ possessoris sed, ipsi dignitati vel beneficio quæri dicitur possessio. Card. de Luca. loc. cit. num. 85. quin & inter privatos transfertur possessio sine actuali apprehensione per cessionem, quæ fiat per actum inter vivos, etiam per ultimam voluntatem, ubi adjicitur clausula constituti effectum sortitura præambulâ horæ constitutis cum solita clausula *ex nunc pro tunc*. Card. Luca. num. 86.

Quæstio 59. qualiter descendit à patrono deducatur in patronatu tam gentilitio simplici quàm mixto.

1. **R**espondeo: in genere circa descenditiam illam à fundatore, cum res sit sæpe intricata, maxime ubi ea dicitur ab antiquo, propter varios eosque improprios loquendi modos, quibus plerumque utuntur fundatores, regulam aliquam dari non posse, quàm quod verba secundum materiam subjectam, & communem loquendi modum sint arripienda. Lott. l. 2. q. 11. num. 49. & seq. quare

2. Respondeo secundò in specie: si fundator sibi & suis parentibus reservavit patronatum, cum vanum tunc sit referre hanc ejus dispositionem usque ad tritavum, quoutque aliàs ascendentes veniunt nomine parentum, vox illa *parentes* inflectenda ex subjecta materia, & secundum communem vulgi opinionem, ut significet agnatos. Lott. num. 52. citans Tiraq. de retract. §. 1. gl. 8. num. 1. Menoch. l. 4. præsumpt. 88. n. 18. Peregr. de fidei comm. l. 22. num. 31. Riminal. conf. 303. nu. 2. Porro agnatio duplex est: Prima in genere, dicta comprehensiva; altera in specie, dicta affectiva, quæ quis dependet à persona ipsius fundatoris vel alterius, ac ipse reservavit patronatum. Lott. *ibid.* quò ad priorem opus est duplici reflexione, unâ, quæ respiciatur qualitas lineæ, unde originatur, nimirum num sit directa, num transversa. Altera, quæ respiciatur qualitas personarum, quæ in tali linea supponuntur. Unde

3. Respondeo tertio: si fundator usus fuerit verbis, quæ per se restrinxerit ad lineam suam effectricem seu directam v. g. dicendo; *reservo patronatum pro me meisque descenditibus*, seu pro liberis meis (quod idem est, l. liberorum. de verb. signif.) vel pro Titio ejusque descenditibus: non comprehenduntur alii quàm procreati ab ipso fundatore, vel à Titio, cui patronatum reservavit: Si verò dixerit; *pro me meisque agnatis*: censetur voluisse comprehendere omnes, qui sunt de ejus agnatis, sive sint positi in linea recta, sive transversa; hi enim omnes veniunt nomine agnatorum, ut sumitur ex *aurhen. de hered. ab intest. in principio*, juxta Menoch. conf. 424. num. 33. Lott. num. 54.

4. Respondeo quarto: major difficultas est, dum usus fuit termino æquivoco respectu voca-

torum, illumque in super qualificaverit alio termino itidem æquivoco, uti sæpe contingit in termino *linea* (quæ est collectio personarum ab eodem stirpe descenditium, gradus continens & numeros distinguens. Anch. conf. 93. num. 9. Barbat. in l. cum accuratissimi. num. 125. c. de fidei comm. eaq; duplex; recta continens ascendentes & descendentes; & transversa seu inflexa, continens transversales) tunc attendendum ad terminum ei adjectum, & ad personam, quam respexit in reservatione patronatus; nimirum an adjecta sit materialiter & effectivè, an subjectivè & contentivè, ut loquitur Lott. num. 59. & 60. Tamen enim id *linea* in dubio accipitur pro recta, id tamen procedit, ubi relatio seu reservatio est ad lineam alterius; sic si filius suis masculis substituat proximum agnatum ex linea paterna, ea substitutio nequit referri ad lineam effectricem seu directam fundatoris; si enim vocasset eos, qui essent de linea sua, patet referri etiam rectam, eò quòd dictum pronomen verificetur in suo significato tam in linea contentiva quàm effectiva; hoc est, tam pro ut comprehendit & lineam rectam & transversam, quam dicit solam rectam. Lott. num. 61. adeoque sufficit, aliquè descendere à fratre fundatoris vel alio transversali patris fundatoris: datâ enim possibilitate comprehensionis transversalium, hæc vox *linea* nunquam intelligi potest de effectiva tantum, nisi per adjectam vocem explicata esset qualitas lineæ v. g. dicendo: *ex linea paterna* (quod idem est ac *ex paterna parte*) cum verba ista stent tantum pro termino differente ad exclusionem femininarum, non autem ad significandam agnationem effectivam. Lott. num. 64. & seq. juxta decis. Rot. in *Mediolan. patronatus*. 19. junii. 1617. Eandem æquivocationem agnoscit Bald. l. 3. conf. 334. num. 6. & seq. apud Lott. num. 63. in ista voce *Proles*, quamvis subdat, ex communi usu loquendi eam inclinare ad lineam effectivam, & per eam, si alternata adjecta sit, declarari vocem *linea*, ut significet lineam effectivam.

5. Respondeo quinto: quò ad alterum, nempe quò ad considerandam qualitatem personarum, dum fundator qualificat, quos vocat, seu pro quibus reservat patronatum aliquo termino juris, qui possit etiam secundum vulgarem sensum intelligi tam de feminis (quæ capaces sunt juris, nisi vulgaris sint conditionis & absque ulla dignitate. Abb. in *Cap. fin. h. t.* num. 7. Lamb. l. 2. p. 3. q. 4. a. 19. num. 8. apud Lott. num. 68.) quàm de masculis, censendus est comprehendisse & feminas & earum descendentes, salvâ tamen gradus prærogativâ. Lott. num. 69. ut si vocavit *consanguineos*; hic enim terminus etiam sumatur strictè pro duobus fratribus vel sororibus ex eodem patre. l. 1. ff. de su. & leg. hered. l. amite. c. cum de success. & largè pro agnatis tantum, exclusis cognatis. l. 1. & c. consanguinitas, Card. de legit. hered. largissimè tamen (in quo sensu potissimum usurpatur vulgo hæc vox. Beroijs l. 2. conf. 95. num. 10.) sumitur pro quibusvis conjunctis sanguine, sive ex parte patris, sive matris. Lott. à num. 70. adeoque, cum de patronatu agitur, sub hac appellatione veniunt omnes sanguine juncti, etiam à sola matre procedentes, et si hi aliàs simpliciter vocentur propinqui, & ad distinctionem Agnatorum cognati. Lott. à num. 71. citans Tiraq. de retract. §. 1. gl. 9. num. 1. & 200. *Fustr. de substit.* 4. §. 65. num. 3. juxta decis. Rot. in *Legobienh capellanie*. 24. Jan. 1624. Idem & multò

multò magis est, dum vocavit conjunctos; cum hic terminus aptus quoque sit comprehendere tam agnatos. Lott. quàm cognatos. n. 74. citans Alex. l. 2. conf. 115. n. 10. Gozadin. conf. 20. n. 8. Decium conf. 223. n. 2. idem est, si vocaverit proximos. Lott. n. 75. citans Decium l. 2. de reg. juris. num. 225. vel propinquos. Lott. num. 76. juxta Bald. l. 3. conf. 334. num. 3. Anchar. conf. 95. num. 5. sed neque ab ista lata significatione hujus termini consanguineos recedendum, quamdiu ex concludente argumento, vel ex termino aliquo adjuncto non apparet, fundatorem voluisse prospicere agnatis tantum, ac proinde istius termini adjuncti proprietate ponderanda. Lott. num. 77.

Quare

6. Respondeo sextò: si fundator vocasset consanguineum proximiorum de genere, adhuc ista vox in materia indifferente, & tantò magis in favorabili excludit illam latam interpretationem, quò minus nimirum complectatur descendentes ex feminis; cum sit terminus naturalis. Lott. num. 78. citans Barbat. in Laccaratissimi. c. de fideicom. num. 114. & 147. idem est, si vocatus est consanguineus proximior de cippo; cum & tò cippus sit terminus non legalis, sed rusticorum, quo significatur stipes domus, seu agnationis, ut Castrensis in q. ult. c. de verb. signif. Cujus significatio etsi propriè referatur ad ipsum stipitem domus, ut Surd. l. 3. conf. 443. n. 18. Menoch. l. 4. presump. 88. num. 22. Mantica. de conject. ult. vol. l. 8. tit. 12. n. 16. Fufarius de substit. q. 348. n. 1. negari tamen non potest, etiam feminam descendente de illo stipite esse de cippo, seu de stipite, ac proinde inspectà vocis proprietate esse vocatam, nisi aliunde appareat, fundatorem voluisse prospicere solis masculis. Lott. num. 82. & seq. ex Paris. l. 2. conf. 35. num. 6. & conf. 47. n. 50. Quod ipsum adhuc locum obtinet, etiam si femina sit nupta. Lott. num. 85. quamvis tamen respectu descendenteum ex femina (salvâ consuetudine; vi cujus descendentes ex femina in Hispania dicuntur de cippo. Molin. de primogen. l. 3. c. 4. n. 16.) ut censentur sub appellatione cippi vocati, requiri, ut extent aliqua conjectura, per quas appareat testatorem ad agnationem non respexisse, ait Lott. num. 86.

7. Porrò licet proximitas, ubi sit transitus ad personas minus diversas, non referatur ad ultimum decessorem, sed ad ipsum fundatorem. Lott. n. 88. ex Decian. l. 3. conf. 21. num. 6. ubi tamen cessat hæc circumstantia, nec urgent conjectura in contrarium; verius est, proximitatem referri ad ultimum decessorem. Lott. num. 89. juxta quamplurimas Rotæ decis. 72. num. 3. p. 1. divers. 681. num. 2. p. 2. recent. cum nulla sit ratio, ut, postquam quis admissus est, is, qui ei est proximior tanquam de ejus linea, non admittatur. Tiraq. de jure primogen. 40. num. 1. Lott. num. 90. nisi fortè quis vocatus esset revocabiliter, vel in subsidium. Lott. n. 91. veluti si in defectum legitimorum fuerint admissi spurii; quia in concursu legitimorum semper excluderentur à patronatu (de quo paulò post) ut Menoch. conf. 285. num. 14. Lott. num. 92. vel etiam dum vocatus est senior de familia, seniore, ad quem ingressum semel est juspatron. decedente; illud non transit ad ejus descendente, sed revertitur ad alium seniore de familia. Lott. nu. 93. juxta decis. Rot. in Januensi jurispatr. 31. Junii 1607. coram Lancelloto.

* *

Questio 60. In patron. gentilium qualiter deferatur gentilibus?

Respondeo: deferatur in capita, sive in eo succeditur in capita, & non in stirpes. Lott. cit. q. 11. num. 123. juxta decis. Rot. 252. num. 2. p. 2. Recent. intelligendo tamen hoc in ipsa successione in solido patronatu, & non in exercitio juris presentandi; cum illud pertinere nequeat nisi ad eum de familia, qui pro tempore est senior. Lott. n. 124. juxta Bald. l. 3. conf. 1. n. 8. Covar. pract. qq. 7. 38. num. ult. & c. Porro minus est præjudicium, dum succeditur in capita, quàm in stirpes; nam si essent centum capita, non considerentur omnes, nisi pro una voce. Clem. plures. h. t. ita ut plures presentantes semper habendi sint pro uno. Lott. num. 130.

Questio 61. An, & qualiter in juspatron. gentilium admittantur, & succedant illegitimi?

1. Respondeo: in juspatron. familiari, seu gentilicio (secus est in juspatron. hæreditario, utpote in quo nihil requiritur, quàm an quis sit hæres, & pro qua parte; succeditur enim in eo secundum quotam hæreditatis. Lott. num. 137. adeoque & admittentur illegitimi, non solum, si succedant titulo singulari. Lamb. l. 1. p. 1. q. 7. a. 17. num. 6. Roch. de juspatron. v. competens alicui. num. 6. apud Lott. loc. cit. sed etiam, si succedant titulo universali cum aliis legitimis. Lott. num. 138. juxta Bald. in l. eam quam. num. 57. c. de fidei comm.) repellentur illegitimi; cum non dicantur de gente seu familia, etiam si essent legitimati per Imperatorem aliumque Principem sæcularem. Lott. num. 139. ex Gabriel. l. 1. conf. 95. num. 62. maxime incestuosi, quo casu nequidem juvantur legitimatione habitâ à Papa, nisi in individuo facta esset mentio de qualitate tam natalium quàm jurispatr. Lott. num. 140. juxta eundem Gabriel. & Rot. decis. 251. n. 7. p. 2. recent.

2. Et hæc, si fundator usus est verbis civilibus, vocando scilicet gentem vel familiam, Lott. n. 141. citans Paleot. de not. & spur. c. 60. secus, si usus est verbis naturalibus, id est, significantibus tantum effectum naturæ, vocando nempe suos consanguineos; cum etiam illegitimi dicantur consanguinei, utpote ex eodem sanguine provenientes, juxta Barth. in l. pronuntiatio. ff. de verb. signif. §. familia. num. 1. Lott. num. 142. Quamvis enim bastardi nequidem appellatione consanguineorum veniant jure civili, l. si spurii. ff. de cognat. multòque minus de jure canonico in his præcipuè juribus ad spiritualia ordinatis, juxta Rot. decis. 103. num. 3. p. 1. divers. & Lott. num. 143. cum tamen ea juris civilis provisio, utpote fundata in incertitudine sanguinis non sit perpetua, ad eos adhuc illegitimos extendi potuit ista appellatio consanguineorum, qui à patre agniti sunt, vel utrunque patrem indicare possunt. Lott. n. 144. Tametsi enim ii sint spurii & nati ex damnato coitu, inspectà tamen naturâ sunt filii, & in eos cadit naturalis affectio. Lott. n. 144. unde de æquitate canonica non tantum in linea materna, sed & in paterna admitti debent tanquam sanguine juncti. Abb. in c. nonnulli. de rescrip. num. 1. Lott. num. 145. Et ita admitti debent ad juspatr. ad quod vocati sunt consanguinei, vel alii per verba naturalia convenientia illegitimis. Lott. num. 146. citans Nav. conf. 4. n. 1. & 2. de juspatron. & Rot.

& Rot. *decis.* 350. num. 2. & 6. p. 3. *recent.* quæ pariformiter locum habere in præsentatione passiva respectu filiorum legitimorum descendendum ex illegitimis juxta cit. Navar. *cons.* & *decis.* Rotæ ait Lott. num. 147. non tamen procedere juxta ejusdem Rotæ *decis.* in Pampilon. Capellania. 6. Nov. 1617. in descendente ex damnato coitu, utpote qui semper reputatur persona odibilis, & consequenter nec comprehensa sub verbis naturalibus, ait Lott. n. 148. procedere tamen adhuc, etiam in concursu lineæ legitimæ cum illegitimæ; si talem spurium agnoverat pro consanguineo, nec personam illius abhorruerat, ait Lott. num. 149. nisi constaret, fundatorem voluisse præferri lineam legitimam; tunc enim, dum superest persona de lineâ prædilecti, positi in alia lineâ, non debet admitti. Lott. *ibid.* ex Decian. *cons.* 87. num. 1. qualis conjectura sumitur, si favore agnationis professus fuerit, se fundare, vel aliâ sit persona valde nobilis, vel Ecclesiastica, quæ verisimiliter, etsi non abhorruisse illegitimos, saltem eos noluisse cum legitimis admitti, præsumenda est. Lott. num. 150. cum Rot. *decis.* 26. num. 5. p. 1. *recent.* Quamvis num. seq. dicat, non admitti argumentationem prædilectionis lineæ de præsentatione activa ad passivam.

Quæstio 62. Qualiter juspatr. transferatur donatione?

1. **R**espondeo primò: potest patronus laicus juspatr. quod ei competit jure proprio & privato, liberè & non requisito consensu Episcopi, concedere Ecclesiæ, monasterio, alterive loco religioso; aut etiam Clerico nomine Ecclesiæ vel dignitatis, quam obtinet. *c. illud. h. t. & c. si laicus. h. t. in 6.* eò quòd tunc Ecclesiæ, vel beneficium redit ad naturam suam, liberata à manu laicorum. Castrop. *cit. d. 2. p. 4. num. 17.* Pirh. *h. t. num. 60.* citans Vivian. Potest etiam sic donare juspatr. quod habet in Ecclesiâ eidem Ecclesiæ, prout dicitur *c. unico. h. t. in 6.* Et tunc, si Ecclesiâ habeat plures ministros, & beneficia sibi incorporata, sive collegiata sit, sive non, erit patrona sui ipsius, hoc est, habebit jus præsentandi ad ista beneficia, in quo nulla est repugnantia; jus enim patronatûs licet sit servitus respectu illorum beneficiorum, respectu tamen Ecclesiæ & rectoris ipsius, qui jus præsentandi habet ad illa beneficia, non est servitus, sed potestas quædam seu facultas, ac veluti quoddam privilegium; Si verò Ecclesiâ talia plura beneficia & ministros non habet, sed est unicuique tantum in ea presbyter vel Rector, jus patronatûs in dicto casu extinguetur, & libera collatio spectabit ad Episcopum, & Ecclesiâ nequaquam erit patrona; cum nequeat eadem res habere servitutem erga seipsam. Similiter si patronus laicus Episcopo ratione suæ dignitatis donet, si ad eundem Episcopum spectat jus instituendi in ista Ecclesiâ seu beneficio patronato, extinguitur juspatr. & efficitur beneficium liberæ collationis; aliâ enim deberet Episcopus præsentare sibi, & postea eundem instituere; nisi tamen donans haberet compatronum; nam tunc Episcopus tanquam patronus cum compatrono præsentabit Rectorem, & postea tanquam Ordinarius eum instituet. Pirh. num. 65. Veruntamen nequit patronus talis laicus, etsi regiâ potestate præditus, ipsas Ecclesias patronatas alicui Clerico, monasterio, vel loco religioso concedere seu donare; neque in titulum, ne-

que in proprietatem, sive per modum incorporationis sine auctoritate Episcopi. *c. quòd autem. h. t.* dum tamen simpliciter & absolute concedit Ecclesiâ Clerico, vel loco religioso, in dubio præsumendum est, quòd voluerit donare jus, quod in ea habebat, nempe patronatûs; nemo enim censetur velle dare, quod non habet; Si autem intenderet ecclesiâ conferre in titulum vel proprietatem, tota donatio irrita est, ita ut nequidem jus patron. transferatur; non ob defectum Episcopi, sed quia patronus, quod agere & dare poterat, scilicet jus patron. donare non voluit, & quod agere & donare voluit, nempe Ecclesiâ, donare non potuit. Pirh. num. 64. unde etiam si talis patronus, postquam Ecclesiâ non vacantem donavit loco religioso, eâ dein vacante, præsentaverit pro ea Rectorem, hic admittendus & instituendus est, juxta *c. illud. h. t.* quippe prior illa donatio Ecclesiæ ipso jure fuit irrita, & non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. *Reg. jur. in 6.* constituaturque expressè *c. cum laici. h. t. ut si laici Episcopus nescientibus, aut non contenti- bus, Ecclesias Clericis concedunt, in quibus jus patron. habent, & postea penitentia ducti alios Clericos ad easdem Ecclesias Episcopis præsentant, hiab Episcopis institui debeant concessione Prioris, utpote quæ nulla est, penitus rescissa.* Pirh. n. 65. & 66. Corrad. l. 4. c. 5. n. 9. Porro dum laicus cum consensu & approbatione Episcopi Ecclesiâ non vacantem loco religioso confert in proprietatem, illam eidem incorporando, valet donatio; quia facta est, non tam laici, quam Episcopi auctoritate. Pirh. *cit. n. 65. in fine.* quod tamen videtur num. 68. limitare & restringere ad hoc, quando laici istas Ecclesias tenebant de facto, & erant potentes, ut ex eorum manibus eripi non possent; cum aliâs laici Ecclesias conferre vel donare nequeant, etiam interveniente consensu, vel ratihabitione Episcopi; quia nemo dare potest, quod non habet; qualiter nihilominus Religiosi aliive Clerici Ecclesiâ è manu laicorum sine auctoritate prælati ecclesiastici possunt præscribere spatio 40. annorum, vide apud eundem Pirh. num. 68.

2. Respondeo secundò: potest patronus (subintelligendum quoque videtur, qui nomine proprio & privato est patronus) compatrono suo, etiam privato & laico, sine consensu Episcopi juspatr. donare, seu remittere. Pirh. num. 60. citans Gl. in *c. ex insinuatione. h. t. v. contulisset.* Barb. *loc. cit. num. 4.* Castrop. *cit. d. 2. p. 4. num. 18.* (etsi is dicat conveniens esse, ut consensus Ordinarii in hac donatione intercedat, non tamen necessarium) Azor. *cit. c. 20. q. 6.* contra Jo. Andr. & Abb. in *cit. c. insinuatione.* hac enim non est propria alienatio, seu jus patronatûs in alium translatio; cum novus patronus Ecclesiæ non constituatur, sed alter compatronus tollatur, ita ut juspatr. quod penes duos erat in solidum, maneat penes unum tantum: tum etiam, quia per talem cessionem nihil damni, vel incommodi inferitur Ecclesiæ; quia juspatr. non transfertur in alium Ecclesiæ ignorum aut suspectum hominem; sed donatur patrono socio: imò sic minus gravatur Ecclesiâ; cui magis utile est, unum habere patronum, quam duos: ita Pirh. sed neque talis, dum juspatr. integrum habet, præsumi potest Ecclesiâ magis vexaturus; aliâs si Ecclesiâ vexasset, cum dimidiatè patronatum haberet

beret, Ecclesia illum in patronatu non conservat. Castrop. loc. cit.

3. Respondeo tertio: patronus, cui juspatr. competit non nomine proprio, sed Ecclesie, illud donare non potest etiam alteri Ecclesie sine superioris autoritate, aliisque solemnitatibus à jure requisitis ad alienationem rerum Ecclesie. Pith. n. 60.

4. Respondeo quarto: patronus, cui etiam competit juspatr. jure proprio, non potest illud per se & singulariter concedere, seu donare laico, vel etiam Clerico, ut personæ privatæ sine consensu Episcopi, ita ut donatio secus facta sit invalida. Azor. loc. cit. q. 5. Pith. num. 61. citans Abb. in c. illud. h. e. num. 5. &c. unde si donatio fiat filio à vivente parente, adhuc requiretur consensus Episcopi. Corrad. l. 4. c. 5. num. 8. citans Vivian. l. 4. c. 1. num. 32. Barb. &c. Ratio hujus requisiti consensus ad mutationem patroni est, ut videatur, an expediat Ecclesie mutare patronum, & ne forte concedatur juspatr. tyranno & valde potenti, qui vexat Ecclesiam, & an forte interveniat fraus, & non fiat liberalis donatio, sed ficta venditio.

5. Porro, quod hic dicitur; juspatr. non posse regulariter transferri de persona in personam sine consensu Ordinarii, locum non habet, si illud transferatur de una Ecclesia in aliam ex causa illius demolitionis vel profanationis; cum sufficiat illum consensum intervenisse in primæva illius erectione cum reservatione dicti jurispatr. Corrad. loc. cit. num. 18. ubi etiam ait, id procedere, etiam si dos prioris beneficii applicaretur pro dote alterius beneficii, vel dignitatis aut Canoniciatus in Ecclesia; quia etiam si illud beneficium extingatur per unionem vel suppressionem, non tamen extinguatur patronatus, sed is transferatur ad beneficium, cui fit applicatio; cum de consensu Episcopi concessum habeat perpetuam causam durationis. pro quo citat Lott. l. 2. q. 14. n. 15. Sed neque locum habet in translationibus juris. realis, dum illud transferatur tanquam accessorium, puta, donatione, legato, venditione, infeudatione castri vel villæ, cui illud annexum est. Argumento c. ex literis. Castrop. cit. p. 2. num. 16. citans Barb. de potestate Episc. p. 3. alleg. 71. n. 10. Suar. to. 1. de relig. l. 4. c. 28. n. 17.

Questio 63. Qualiter presumatur, & qualiter, & à quo præstari queat dictus consensus?

1. Respondeo ad primum: dum non apparet dictus consensus, presumitur ex diuturnitate temporis, nimirum 30. annorum. Corrad. loc. cit. num. 11. citans Lamb. qui tamen aum. 12. ait, hunc consensum presumptivum non admitti in persona potente, eò quod ex persona principis presumatur usurpatio.

2. Respondeo ad secundum: sufficit quod Episcopus concessionem illam jurispatr. ex post facto suo consensu & autoritate approbet, ita ut licet ab initio fuerit invalida talis donatio, ex eo tamen tempore, quo accessit consensus iste, de jure subsistat, ac proinde talis actus donationis per rati habitationem postea supervenientem fit validus, non ex tunc, seu ab initio (quod enim ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. reg. juris 18. & 29. in ff.) sed ex nunc. Pith. n. 61. ita ut hic consensus postea ex intervallo præstitus retrahatur ad diem translationis, seu donationis jurispatr. Corrad. l. cit. n. 13. ubi etiam ex Mant-

P. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

ca ait, id procedere etiam in præjudicium alterius donationis medio tempore factæ cum consensu Episcopi, qui sine causa priorem donationem confirmare recusavit; modò tamen primæ donationis confirmatio petita fuerit ab Episcopo, antequam secunda facta fuisset cum ejus consensu; & modò donans, vel donatarius contradictioni Episcopi non consenserit; sed habuerit recursum ad superiorem. Dat quoque hanc rationem hujus sufficientiæ consensus istius ex post præstiti. Castrop. loc. cit. num. 18. quod nimirum requiratur tam ad valorem dictarum translationum, quam ad illarum licitum usum; citat pro hoc Paris. de resign. l. 8. q. 10. num. 7. Azor. p. 2. l. 6. c. 20. quest. 5. in fine. Barb. cit. alleg. 71. n. 18. Menoch. de presump. l. 6. q. 34. num. 14. Videtur autem non sufficere consensus tacitus Episcopi, nimirum scientis & non contradicentis, cum in actu odioso ex taciturnitate consensus non præsumatur. Pith. num. 61. ubi tamen dicit, contrarium quoque esse probabile, eò quod ista donatio non sit actus odiosus.

3. Respondeo ad tertium: consensum Vicarii generalis Episcopi ad hoc esse insufficientem, nisi forte ad hoc speciale mandatum Episcopi habeat. Corrad. loc. cit. num. 15. citans Sbroz. de off. Vicarii. l. 2. q. 31. Ferret. Rebuff. &c. Proceditque idipsum etiam si Episcopus absit, habeatque facultatem Episcopi generalem. Azor. p. 3. l. 3. c. 45. sub initium. Garcias p. 5. c. 9. n. 75. Barb. de potest. Episc. alleg. 54. num. 75. Vivian. l. 4. c. 1. n. 25. quos citat & sequitur Corrad. Item, etiam si Vicarius suas literas patentes habuerit cum clausula generali, nempe; nec non omnia & quæcumque alia gerendi & exercendi, quæ idemmet Episcopus facere posset, si personaliter interesset. Corrad. ibid. ex Donat. Anton. de Marin. quotid. resol. 230. num. 8. Ac ita quidem, ut in contrarium non valeat consuetudo nisi quadragenaria, vel immemorialis, cum sit contra jus; quin nec præsumatur mandatum in Vicario ex lapsu longi temporis, nisi sit enunciatum. Corrad. ex eodem. Vide dicta supra de requisito consensu Ordinarii ad reservationem seu erectionem primam juris patronatus.

Questio 64. Num patronus donare vel legare possit juspatr. cui ei placuerit?

1. Respondeo primo: si ipse est primus institutor patronatus, & habet descendentes legitimos, poterit juspatr. uni filiorum donare vel prælegare, absque eo, quod alii conqueri possint de inofficiosa donatione, maxime, si Ecclesiam fundasset aut donasset ex bonis, de quibus absque filiorum præjudicio disponere poterat. Castrop. cit. d. 2. p. 4. n. 8. citans Lamb. l. 1. p. 3. q. 2. d. 7. Covar. l. 2. var. resol. c. 18. n. 9. Nequiret tamen alteri à filiis relinquere patronatum; si eum acquisivisset ex bonis, de quibus extra filios disponere non poterat; esset enim talis dispositio inofficiosa filiis & retractanda; cumque talia bona, quibus patronatus acquisitus pertinerent ad filiorum legitimam, & juspatr. ad illam pertinere debet; secus esset, si acquisivisset patronatum ex bonis, de quibus liberè disponere poterat. Castrop. ibid.

2. Respondeo secundo: si primus patronus ex privilegio affectus esset juspatr. videndum, quæ formæ concessum; si enim concessum ei ejusque liberis, non poterit extra illos illud transferre; quia tunc filii non à patre, sed à Papa immediatè patronatum

C 3

natum

natum acquirunt; secus esset, si concessum fuisset cum potestate transferendi absque determinatione personæ. Castrop. *ibid.*

3. Respondeo tertio: si primus institutor patronatum reliquit Petro, ejusque filiis, nepotibus &c. successive, non potest Petrus aut ejus filius aut nepos patronatum transferre, in quem sibi placuerit in præjudicium eorum, qui vocati sunt ab institutore; quia jam ratione institutionis omnes successores habent jus succedendi in patronatu, quo jure privari non possunt ex cujusque voluntate Castrop. *ibid.* citans Covar. *ubi antè*, & Garc. p. 5. l. 9. n. 10. contra Lamb. p. 2. l. 1. q. 2. art. 8. & 9. idem tenet Lott. l. 2. q. 11. n. 6. dum ait, translatio patronatus non potest à successoribus primi institutoris attentari in præjudicium gentiliū, si pro gente reservatus est. Videtur nihilominus sentire Lott. posse hoc jus patronatus semel constitutum pro gentilibus & consanguineis alienari ab ipso institutore, & transferri in extraneos, dum n. 10. ait: gentilitia hæc qualitas semel impressa continuat, quod usque gens ipsa seu familia durat intransmissibiliter, præterquam si transmissio ab ipso fundatore fiat. & n. 12. subdit: etiam durante familiâ, potest alienari juspatr. gentilitium, tenetque translatio in præjudicium alienantis, cum transit ad hæredes extraneos, quatenus alii non impugnant, contra quos etiam præscribi potest &c. citatque pro hoc Lamb. l. 1. p. 2. q. 2. art. 8. n. 4. idem tenet Rochus q. 33. v. *ipse, vel u. n. 72.* apud Garciam; contrarium tamen censet ipse Garc. *cit. n. 69.* nempe dum fundator reservavit juspatr. sibi, filiis & descendens aut consanguineis suis, non posse illud renuntiare seu transferre in alium in præjudicium filiorum & descendens, probatque à simili de feudo & emphyteusi accepta à patre pro se & filiis, illudque n. 20. verum existimat, etiam, ubi patronatum patronus dedisset seu renunciasset Ecclesiæ, cujus est patronus. Nihilominus ex eo, quod filius vivente patre jus nullum aut potestatem habeat in isto juspatr. putat posse successorem istius juspatr. gentilitii ad vitam suam eidem renunciare, & transferre in alium, absque filii seu sequentis præjudicio, citatque pro hoc Covar. *cit. c. 8. n. 10.*

Questio 65. An dum patronus donat juspatr. extraneo, censetur illi donasse cumulativè, an privativè?

Respondeo Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 5. nam. 16.* censeri illum donasse solum cumulativè secum & cum hæredibus propriis. citat pro hoc decis. Rot. 385. n. 8. p. 1. *divers. Feder. de Senis. conf. 147.* Abbat. *vol. 2. conf. 54.* Gonz. *ad Reg. 8. § 2. præm. n. 32.* qui posterior etiam dicit, fundatorem Ecclesiæ vel beneficii, si patronum nominet extraneum, talem nominationem intelligendam cumulativè cum ipso & hæredibus propriis, nec censeri seipsum & proprios hæredes excludere, ut etiam Anchar. *conf. 81. n. 1.* Cald. *conf. 4. de jurepatr.* Illud tamen observandum ex Lott. *lib. 1. q. 32. n. 12.* qui pro hoc citat Gem. *in c. hoc consultissimo. n. 3. de rebus Eccl. non alienandis. in 6.* juspatronatus semel unitum in persona unius non posse rursus discindi in plures, hoc est, constitui plures patronos, cum ab initio non esset, nisi unicus; eò quod sicut beneficium semel constitutum in libertate non potest redigi in servitutem, ita non possit magis gravari, quam fuerit gravatum in fundatione, qualiter plus gravari videtur per accessionem alterius patroni.

Questio 66. Qualiter transferatur juspatr. per permutationem?

1. Respondeo primo: posse juspatr. (intellige personale) permutari cum alia re spirituali, puta cum alio jurepatr. aut alio jure similiter etiam spirituali annexo, & non aliter, seu cum re temporalis. Basl. *rom. 2. verbo beneficium. §. 5. n. 6.* Castrop. *cit. p. 4. n. 9.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 20. q. 7.* juxta *c. ad questiones. de rerum permutat. juspatr. reale annexum villa vel prædio permutari potest cum alia re temporalis; facta nimirum prædii vel villæ illius permutatione cum alia villa vel bonis, etiam quibus juspatr. nullum annexum est.* Castrop. & Azor. *loc. cit.*

2. Respondeo secundo: posse duos patronos diversarum Ecclesiarum, etiam dum sunt patroni ex diversis causis, inter se permutare jura sua patronatus personalia, non requisito consensu Episcopi; cum sit mera permutatio rei spiritualis cum re spirituali. Corrad. *l. 4. c. 5. n. 17.* ex Lamb. *l. 1. p. 2. q. 3. art. 2.* Et si cautius sit, dum permutatio fit, inter duos laicos de integris & separatis juribus patronatus diversarum Ecclesiarum non provenientibus ab uno defuncto, ut requiratur dictus consensus, ne sub colore permutationis aliquid aliud, quod fortè simoniam sapiat, interveniat; ac ita superfluum non videtur, ut fraudibus occurratur, si interveniat ad id Ordinarii consensus. Corrad. *ibid. ex Lamb. loc. cit. n. 7.*

Questio 67. Qualiter transferatur jus patronatus per venditionem?

1. Respondeo primo: juspatr. reale, seu annexum castro, per se & solitarie vendi aut emi non potest sine simonia, secundum dicta superius, ubi & hujus rei rationem dedimus.

2. Respondeo secundo: potest tamen vendi, aut per venditionem potius transferri per accidens & concomitanter, vendendo rem temporalem, in qua est universitas, & cui juspatr. accessorie est annexum, argumento *c. ex literis. Lott. l. 2. q. 9. n. 47.* Pirh. *ad. h. l. n. 72.* cum communi; tunc enim empirio vel alius contractus gratuitus censetur initus super rebus temporalibus, & non super jurepatr. quod tamen simul transferretur & transit, tanquam accessorium sequens suum principale; cum sit veluti accedens rebus inhærens: sic namque magis dignum, scilicet juspatr. accedere potest minus digno, nempe rebus temporalibus, ita ut licet in se sit dignius, tamen ratione accessionis sit minus dignum. Pirh. *ibid.* citans Abb. *in c. ex literis n. 2.* nomine autem universitatis rei, cum qua transit juspatr. hoc loco non intelligitur res aliqua particularis, sed quæ continet jura universitatis, ut est pagus, castrum, villa vel fundus, cui jura, ut jurisdictio, servitutes, onera & actiones ad eam pertinentia, annexa sunt. Pirh. *n. 73.* citans Abb. *ubi antè.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 2. q. 8.* Porro, ut dicto modo per venditionem transferatur etiam ad laicum, non requiritur consensus Ordinarii. Pirh. *citato n. 73.* Corrad. *l. 4. c. 5. n. 20.*

3. Respondeo tertio: non tamen necessariò transit cum universitate bonorum venditorum quibus annexum; potest enim etiam hoc contractu venditionis hoc specialiter excipi. Pirh. *cit. n. 72.* Lott. *cit. n. 47.* cum communi, nisi fortè primus institutor sic constituisset, & inseparabiliter annexuisset aliquibus bonis, v. g. si fundator capellam statuisset, ut juspatr. spectaret ad dominum talis palatii vel fan-

et tunc enim à tali fundo separari non potest per successores; in quo casu etiam dicitur transire & transferri, cum istiusmodi bonis accessorie, non tamen cum universitate bonorum; dum nimirum istiusmodi v. g. domus vel palatium nulla jura universalitatis habet. Pirh. n. 73. de cetero dum id specialiter in venditione bonorum, quibus jura universalitatis annexa, non excipitur, præsumitur, quòd partes voluerint illud simul transire. Lott. loc. cit. Pirh. n. 75.

4. Respondeo quartò: non potest tamen castrum ob annexum ei patronatum vendi carius, quàm si eo careat; aliàs tacite venderetur jura. & committeretur simonia. Pirh. n. 74. citans Suar. de Simon. l. 4. c. 28. n. 12. Castrop. cit. p. 4. n. 10. dicens esse communem contra Garc. p. 5. c. 9. n. 35. & Molin. de justit. tr. 3. d. 62. n. 6. censentes contrarium, eò quòd quò excellentioribus res pollet qualitatibus, evadat æstimabilior & pluris vendibilis. Ad quòd si dicas, castrum quidem ob patronatum ei annexum esse dignum majore æstimatione, non tamen æstimatione, quæ pretio comparari possit; cum patronatus non sit qualitas temporalis, sed spiritualis, respondent, quòd patronatus non sit qualitas purè spiritualis, sed habeat temporalitatem annexam, nempe honorificentior locum in Ecclesia, obligationem Ecclesiæ subveniendi patrono egenti, ob quæ pluris æstimandum & vendendum castrum. Verum hæc qualitates temporales patronatus annexæ ideo non constituunt castrum pluris vendibile; quia non ipsis his qualitatibus per se, sed juri, ex quo nascuntur, attenditur, nempe patronatui; quòd, cum sit invendibile, non reddit castrum, cui annectitur, majori pretio dignum. Ita Castrop. loc. cit. Falus de cetero, non videri sibi illas Garciz & Molinæ rationes improbables.

5. Respondeo quintò: juspatr. personale, vendit à universitate bonorum seu omnibus bonis, non transit in emptorem, si illud non cohareat universitati bonorum, nec ulli determinatè prædio speciali, sed personæ venditoris. Pirh. n. 74. citans Suar. tom. 1. de relig. loc. cit. n. 19. Garc. p. 5. c. 9. n. 13. Zoësim ad h. n. 23. Castrop. l. c. n. 11. citans præterea Lamb. p. 2. l. 1. q. 5. n. 15. Barb. p. 3. de pot. Episc. alleg. 71. n. 33. dum enim non cohareat accessorie bonis venditis, sed sit juri omnino separatum ab iis, non potest vi venditionis illorum centeri translatum, aut comprehensum in ista venditione. Quin etsi censetur in ea comprehensum, censetur transferri tanquam pars universalitatis bonorum per se & partialiter vendita. Pirh. cit. n. 74. unde etiam vendit à hereditate, in emptorem non transit juspatr. dum in hereditate seu bonis hereditariis nihil est, cui illud annectitur, sed est distinctum ab omnibus bonis seu merum personale; licet enim juspatronatus transeat cum universitate bonorum, cui adhæret, non tamen transit cum universitate, in qua rerum particularium seu singularium est una specifica traditio, sicut est, ubi venditur hereditas, alioquin in specie venderetur juspatronatus. Adde ex Emanuele à Costa in c. si pater. de testam. in 6. v. Trebellianica. num. 7. quòd hæres, vendendo hereditatem, non dicitur verè vendere hereditatem; cum per venditionem deserit esse hereditas, & sit effecta proprium patrimonium; sed bona, quæ ante venditionem fuerant hereditaria: & revera solum est venditio universalis respectu verborum, quæ resolvitur in singularitates; unde venditis istis bonis, non intelligitur vendere juspatr. ac ita expressè docent Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit.

citans Lamb. Paul. de Eleazaro. Barbatian. Emanuel. à Costa & c. Etsi contrarium sentire videatur Corrad. pr. benef. l. 4. c. 5. n. 395. Lott. l. 2. q. 9. n. 49. dum ait, transire cum vendita hereditate, ut pote de qua dubitari nequit, quin in se multa contineat jura. item Covar. l. 2. variat. c. 18. n. 8. Molin. de primogen. l. 1. cap. 24. n. 15. Abb. in c. ex literis, & plurimi alii, quos citat Garc. loc. cit. n. 11. & quorum sententiam Lamb. ibid. dicit esse communem, eò quòd hereditas sit quid universum. Similiter dum quis fundum vel palatium suum non continens ullam universalitatem, intra cujus fines sita Ecclesia vel capella, cujus ipse patronus est, vendit, juspatr. nequaquam transit ad emptorem, sive ad Ecclesiam illam pateat aditus per ipsum fundum vel palatium, sive non; quia tale palatium est res particularis, nulla continens jura universalitatis, & patronatus ille merè personalis est. Pirh. n. 73. citans Fagn. in c. in literis. n. 19. ex Abb. ibid. n. 14. contra Corrad. loc. cit. n. 40. Secus ac contingit in vendito fundo suo, in quo quis habet sepulchrum, ad quòd non patet aditus per viam publicam, sed non nisi per ipsum fundum; eo ipso enim vendito illo fundo, transit quoque jus sepulchri ad emptorem; cum jam vendenti nulli amplius usui esse possit sepulchrum, dum ab emptore prohiberi possit, ne per fundum factum jam illius inferatur ullum funus; jure autem patronatus uti possit patronus præsentando, absque eo, quòd necesse sit ingredi per fundum illum alienum in ecclesiam. Pirh. ibid. juxta l. si mercedem. ff. de act. Empt. Aliud quoque est de hereditate, cum qua transit etiam juspatr. personale hereditarium, quia licet non transeat ex vi bonorum relictorum hereditas; transit tamen ex vi juris hereditarii seu ipsius hereditatis, quæ est successio in universum jus defuncti, cujus personam hæres repræsentat, non emptor. Pirh. n. 74. unde secus etiam est juxta dicta paulò antè de hereditate tota vendita; quia non jure hereditatis, sed emptionis succedit emptor in bona ista hereditatis; cum succedat in hereditate materialiter tantum, tali, hoc est, bonis contentis in ea.

6. Respondeo sextò: venditionem universalitatis v. g. castri cum expressa mentione de jurep. in qua v. g. dicitur, *vendo hoc castrum cum jurepatr. vel etiam vendo hoc castrum & juspatr.* Etsi ob particulas illas copulativas *Et & cum* videri posset juspatr. non accessorie, sed per se, ac æquè principaliter vendi, licet particulariter; probabiliter tamen non esse simoniacam aut vitiosam, neque in foro externo neque interno, modò absit intentio interior mala, nempe vendendi, tenet Pirh. n. 75. citans Azor. c. 20. q. 8. contra Corrad. l. 4. c. 5. n. 4. & seq. contrarium pluribus probantem: non enim refert, quibus verbis contractus sit conceptus, modò verba sensum habere possint bonum, & à delicto excusantem, etsi in malo quoque sensu continente delictum explicari possint; tunc enim potius in sensu bono accipienda sunt juxta c. 2. de reg. juris; *dubia in meliorem partem interpretanda sunt* Jam verò dicta verba hunc sensum bonum habere possunt; quòd nimirum vendat castrum absque reservatione seu exceptione juspatronatus ejusdemque à re vendita separatione. Pirh. ibid. citans Nav. l. 5. consil. 6. n. 7. de heret. idem tenet Lott. cit. q. 9. n. 62. ubi ait, tamen ex natura actus juspatr. veniat in hujusmodi venditione, nihilominus hoc non procedere, ubi id exprimitur; quia tunc videtur illi aliquod pretium statutum, adeoque contractus simoniacus præterquam si expressio fiat declarativa v. g. *vendo villam cum omnibus juribus suis*, videlicet

jurisdictione, jure patronatus, & non conjunctive & principaliter, citans pro hac distinctione Gemin. in c. 1. de jure patri. Calderin. Roch. Lamb.

7. Respondeo septimo: ubi agitur de venditione aut alia dispositione de juribus universis, verificanda est proprietas juris patr. in transferente, & si agitur de castro, supponendum, quod annexio juris patr. ad castrum sit clara; aliis enim non datur hujusmodi transitus per venditionem similemve dispositionem. Lott. l. 1. q. 9. n. 53. & 54. ex Mantic. decis. 164. n. 2. Porro deprehenditur, an jus patr. fuerit reservatum castro vel dignitati, aut è contra singulari personæ Domini Castri, seu obtinentis talem dignitatem, ex formula ipsius dispositionis; an videlicet personæ vel potius dignitati facta sit concessio, Lott. n. 56. ex eodem Mantic. decis. 150. n. 5. ubi etiam, quod censeatur facta adhuc personæ, etiamsi post nomen proprium adjectum nomen dignitatis; cum illa adjectio censeatur potius facta demonstrationis gratiâ: quod idem est in dubio; cum istiusmodi concessiones fieri consueverint propter merita, quæ ratio non cadit in castrum vel dignitate. Lott. n. 57. De cætero ubi non constat de simili titulo domini, ad alias conjecturas & præsumptiones recurrendum; ut si supposito patronatu, Ecclesia sita sit intra mœnia arcis vel castri, præsumitur jus patr. annexum ipsi castro, præcipue concurrente observantiâ; quia præsentationes factæ ab eo, tanquam qui pro tempore fuit Dominus castri. Lott. n. 58.

Questio 68. Quid si ergo contra juris prohibitionem vendas jus patr. eritne venditio valida?

Respondeo: validam esse censet Suar. cit. l. 4. de Simon. c. 57. n. 13. ideo, quod nullibi irriteretur ipso jure; ex eo enim, quod in Trid. sess. 25. c. 9. dicatur, nullus jus patr. transferre in alium contra canonicas sanctiones præsumat, alioquin ipso jure patronatu privatus existit, non inferitur, translationem esse nullam; sed esse annullandam: probabilius tamen esse invalidam, & non posse emptorem patronatum retinere, sed manere illum penes vendentem usque ad sententiam declaratoriam criminis, censet Castrop. cit. p. 4. n. 12. citans pro hac Garc. p. 5. c. 9. n. 9. Azor. p. 2. l. 6. c. 20. q. 8. eò quod patronatus in neminem transferri possit, in quem Ecclesia non consenserit; Ecclesia autem translationem simoniacam reprobatur, easque omnes translationes irritat, c. quamvis. de pænit. c. præterea de transactionibus. Idem cum Castrop. tenet Corrad. cit. c. 5. n. 46. nisi quod dicat, venditorem hoc ipso esse privatum patronatu, & Ecclesiam effici liberam. Porro licet venditio talis censeretur simoniaca & nulla respectu ipsius juris patr. deducti principaliter in venditione; valere tamen adhuc venditionem, respectu saltem universitatis & aliorum sub ea contentorum, & expressionem juris patr. rejici, ac si adjectum non fuisset, quemadmodum plura sæpe venduntur, & in uno eorum venditio non tenet; tenet tamen in aliis. Et quemadmodum, dum conditio apponitur in erectione beneficii jure reprobata & rejecta per Episcopum, tamen valida manet fundatio beneficii; id inquam docet Lamb. p. 2. l. 1. art. 21. n. 1. apud Corrad. loc. cit.

PARAGRAPHVS 19.

De subiecto juris patr. & de iis, qui præsentare possunt.

Questio 69. An pagano & judæo edificanti vel ecclesiam, vel eminenti castrum, cui jus patr. annexum est, competere possit jus patronatus?

Respondeo negative: cum hoc jus nullus obtinere possit, nisi ab ecclesia fuerit concessum; at Ecclesia solis fidelibus id concessit, ut constat ex c. quicumque. 16. q. 7. c. pia mentis. eadem causâ & q. Castrop. cit. p. 4. n. 19. Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 7.

Questio 70. Num hæreticus sit capax juris patr.

Respondeo: ob hoc crimen reddi aliquem hujus juris incapacem, etiamsi fuerit fundator Ecclesie. Lott. l. 2. q. 14. n. 18. de hoc plura inferius, ubi de amissione juris patr.

Questio 71. Num jus patr. competere possit infanti & pupillo?

Respondeo affirmative: sunt enim capaces legati & hæreditatis; ergo & patronatus hæreditati annexi. Azor. loc. cit. c. 2. q. 14. Abb. in c. de jure p. n. 5. Feder. de Senis, & c. quos citat & sequitur Castrop. n. 2. Et si enim infans ob defectum rationis præsentare nequeat, habere tamen potest tutorem, qui id nomine illius faciat; nequaquam autem procurator vel tutor patronatum obtinet. Castrop. n. 21. quin & pupillus septennio major ipse præsentare potest, etsi secus sit de electione competente jure collegii, c. ex eo, uti etiam in præsentatione competenti jure collegii, & non jure proprio & singulari, Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 186. & 189. citans alios ac dicens esse sententiam communem contra Jo. Nicol. Delphin. l. 2. de jure pat. q. 10. n. 182. negantem, pupillum posse præsentare, ex eo, quod careat discretionem, non possit habere discretionem præsentationis idoneum, nisi forte malitia superaret ætatem. In quod etiam inclinare videtur Corad. p. 4. cap. ult. n. 17. dicens sententiam communem propter lubricitatem ætatis pupilli sibi videri dubitabiliorem. Idque etiam absque tutoris vel curatoris autoritate; quia nullibi cavetur hanc autoritatem in hac nominatione requiri, sicut neque requiritur in contrahendis sponsalibus. Azor. loc. cit. Castrop. n. 20. Garc. loc. cit. n. 196. citans Pavinum de potestate capis. sede vac. p. 2. q. 5. n. 5. Rebuff. de nominatione. q. 17. n. 51. Roch. v. competens q. 4. n. 13. & c. Qui tamen omnes dicunt, quod expediat, sitque honestum, ut pupillus præsentet tutore auctore. Sed neque tutorem ullo modo præsentare posse, nisi de voluntate & consensu (saltem tacito, v. g. quia sciens tutorem præsentasse, non contradixisset, nec præsentasset alium intra tempus datum ad præsentandum. Lamb. p. 1. l. 2. q. 4. n. 17. Mohed. Abb. & alii apud Garc. n. 192. deque tali scientia pupilli intra tempus datum ad præsentandum constare deberet Episcopo ipsius pupilli septennio majoris, habentis usum rationis gl. in c. ex eo. de elect. v. suffragium Azor. Roch. Rebuff. Pavin. apud Castrop. n. 21. & Garc. n. 191. dicit esse communioem, Nihilominus con-

contrarium sibi videri ait Castrop. eò quòd tutor propriè detur ad regendam personam pupilli, ad eòque & ratione hujus personalis regiminis presentare poterit. Idem tenet Pirh. n. 18. & Garc. n. 194. dum ait, tutorem posse absolutè presentare, valereque ejus presentationem; addunt tamen, nisi pupillus rationis discretione prèditus contradicat, vel ante institutionem alium presentet: in quo casu preferendam presentationem factam à pupillo, eò quòd ipse sit Dominus istius juris patr. etiam si presentasset minus dignum prè alio, quem presentavit tutor, tenent Pirh. loc. cit. Roch. Rebuff. Pavin. alique citati supra à Garc. n. 196. vel saltem aequè dignum, ut alii apud Garc. n. 187.

2. De curatore tamen censet Castrop. loc. cit. & Garc. n. 196. eum presentare non posse, eò quòd is, cum principaliter datus sit pro administratione bonorum minoris, & non personæ, patronatum competentem minori & ejus bonis non annexum administrare non possit, neque ad beneficia virtute illius presentare.

Questio 72. Quid hac in parte dicendum de impubere, minore, filio familias?

1. Respondeo primò: & hos capaces esse juris patronatus, posseque per se ipsos presentare, dum septennio majores sunt. Sequitur à potiore ex responsis, ad quest. præc.

2. Respondeo secundò: etsi æquum sit ut tales impuberes non presentent absque tutorum autoritate, eò quòd hi dentur ad actiones personarum impuberum regendos, si tamen impubes septennio major presentavit sine tutoris autoritate, valet presentatio ab illo facta jure proprio & singulari. Pirh. n. 18. juxta dicta quest. præc. de pupillo.

3. Respondeo tertio: potest quoque pater presentare ad beneficia juris patr. competentis filio, quamdiu hic impubes & sub ejus potestate est; quia toto eo tempore personæ filii administrationem habet Castrop. loc. cit. n. 22.

4. Respondeo quartò: ita ad puberem etsi minorem 25. annis spectat presentatio, ut neque tutor, neque pater illius, vi juris patr. competentis filio valide presentare possit. Castrop. cit. n. 22. Garc. n. 195. & 299. contra Baëzam & Guttier. quorum sententiam falsam esse, & non nisi in curatore furiosi procedere, asserit Garc. Siquidem in talibus ut publici juris, neque curatoris potestas, neque minor ætas attenditur. Garc. n. 196. ex Anchar. conf. 355. & Butrio conf. 30. cessatque post pubertatem filii administratio, & solum in ejus bonis conceditur: quòd ad spiritualia autem & dependentia ab iisdem pertinentibus ad filium patria potestas se non extendit, & pater nullo modo se intromittit, & nihil juris habet, & administratio residet penes filium. Garc. n. 197. ex Navar. Castrop. loc. cit. Sed neque pater presentare potest pro filio tanquam pater & conjuncta persona, etiam cum cautione de rato; tum quia ad presentandum requiritur speciale mandatum, ut Lamb. p. 1. l. 2. q. 4. art. 17. n. 4. & DD. in c. fin. de concess. præb. tum quia in causa spirituali, qualis est hæc, pater vel alia persona conjuncta non admittitur sine mandato, etiam cum cautione, ut Lamb. loc. cit. Abbas in c. nonnulli. de rescript. n. 2. nisi ratificatio fieret intra tempus datum ad presentandam, ut Roch. Pirh. cit. n. 18. Garc. n. 201. ita ut non sufficeret, quòd intra dictum tempus non fiat presentatio alia, aut contradictio patroni, nisi conseter intra dictum tempus de scientia illius; & hoc, quan-

do pater presentavit, qui aliàs est legitimus administrator filii. Garc. n. 205. Nihilominus si patronatus competat filio ob bona adventitia, quorum pater habet usum fructum, posse presentare patrem, & non posse presentare filium, tenet Castrop. loc. cit. n. 22.

Questio 73. An, & qualiter patronatus competens uxori, & hinc potestas presentandi transeat in maritum, seu participetur ab eo?

1. Respondeo primò: supponendo tanquam certum, etiam fœminas esse capaces juris patronatus. c. ult. de concess. præb. Abb. inc. l. n. 3. & c. 25. h. t. Azor. loc. cit. c. 21. q. 10. cum communi. Acquirunt enim sibi hoc jus, si quis edificaverit, & c. Ecclesiamque verbo, si quis, etiam comprehenditur si quis, & masculinum continet fœmininum, gloss. in c. general. de elect. in 6. v. universos, nisi subjecta materia aliud suadeat, sic jus patronatus hereditarium etiam transit in fœminas; item relictum consanguineis. Garc. cit. c. 9. n. 145. & 144. ita etiam succedit fœmina in jure patronatus per modum majoratus instituto, ita ut ad animum duntaxat deveniat, nempe primogenitum seu proximiorum, nisi fœmina expressè sit exclusa. Garc. n. 145. ex Covar. præc. qq. c. 38. n. 13. Mol. l. 1. c. 1. n. 26.

2. Respondeo secundò: Si patronatus uxoris sit personalis, & bonis ejus non annexus, jura illius non communicantur marito; quia sunt propria uxoris, & ad onera matrimonii præstanda non conducunt. Castrop. loc. cit. n. 27. cum communi.

3. Respondeo tertio: neque jura patronatus competentis uxori ob bona propria ac paraphernalia v. g. per majoratum acquisita, aut ab ea tanquam hærede vel consanguinea fundatoris habita per successione, dum ea marito data non sunt in dotem, communicantur marito, ac proinde vi talis patronatus non potest presentare, subsidium in necessitate ab ecclesia exigere, aut ullatenus se intromittere; nisi fortè uxor ex urbanitate patiatur maritum simul presentare. Castrop. ibidem. Pirh. num. 17. Laym. Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 13. q. 7. n. 18. Garc. n. 185. citans Molin. de primogenit. l. 1. c. 24. n. 32. Gutt. p. 13. de iure. c. 29. n. 4. contra Lamb. ibidem apud Garciam æquiparantem in eo casu maritum tutori.

4. Quartò: dum patronatus est annexus bonis uxoris ab ea marito datis in dotem, jus patronatus & presentare durante matrimonio spectat ad solum maritum; quia cum non solum fructus, sed etiam dominium rerum dotalium, saltem civile & jurisdictione, transeat, & sit penes maritum, juxta l. Doce de rei vend. & l. cum dotem. c. de jure dotium, citatas à Pirh. & juxta doctrinam glossæ communiter receptæ in l. in rebus. c. eod. v. naturali, quam sequitur Bartol. n. 3. & Bald. n. 6. apud Castrop. n. 28. (quod idem fusè disputatum vide apud Garc. n. 147.) non solum fructus, qui commod. ratem pretio æstimabilem ad onera matrimonii sustinenda præstant, sed & alii omnes ad eum pertinere debent; cum de jure civili maritus absolutè censetur Dominus in ordine ad omnes effectus, præterquam in jure exceptos, inter quos non est jus patronatus: atque ita jus patronatus non per se, sed accessoriè cum dominio five vero & naturali, five civili tantum cumque universitate rerum dotalium ac jurium transit in maritum; Unde jam verum non est, quod tradit Lamb. p. 3. l. 2. q. 6. art. 3. n. 8. incohærenter ad ea, quæ tradiderat p. 2. l. 1. q. 10. art. 2. jus patronatus in maritum transire cum universitate in dotem datà; nimirum

mirum posse etiam uxorem presentare, ac locum esse preventioni inter virum ac uxorem, & uno presentante, alium non posse illum impedire, etiam in variatione; in dubio tamen prevalere presentationem uxoris; ita docent Laym. *loc. cit.* Pirh. *cit. n.* 17. Zoefius *h. rit. n.* 36. Garc. *n.* 177. citans Gutt. *ubi ante n.* 3. Rebuff. *de nominat. q.* 17. *n.* 56. Roch. *v. ipse vitandus. q.* 28. Tiraq. *post leges connub. gl. ult. n.* 5. item Molin. *de primog. l.* 1. *c.* 24. *n.* 3. contra Abb. *in l. fin. de concess. prob. n.* 8. But. *Imol. ibidem. Felin. in c. cum olim. de major. & Abba. n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 16. & alios apud Garciam & Baëzam *de decima tutorum c.* 23. *n.* 30. contrario nixos fundamento; nimirum quod maritus non sit Dominus dotis, sed uxor, juxta *l. in communibus. c. de jure dotium.* Et esto, Dominus sit & administrator bonorum dotialium, & ipsi debeantur eorum fructus & commoditas, id tamen intelligendum de iis tantum commoditatibus, quæ ad onera matrimonii sustinenda conferre possunt; ad hunc enim finem confertur dos; jura autem patronatus ad id servire acqueunt. Mediam viam ingreditur Castrop. *n.* 29. ex Covar. *pract. qq. c.* 28. *per totum;* dum ait, si bona in dotem dentur æstimata æstimatione, quæ facit emptionem (quando autem hoc contingat vide apud Covar. *ibidem*) marito, non uxori competit patronatus & presentare; quia eorum bonorum maritus sit Dominus, neque tenetur soluto matrimonio ea reddere, sed tantum eorum æstimationem; si autem bona data sic æstimata non sint, probabilius maritum illorum non habere dominium, neque jura patronatus, sed solum habere istorum bonorum administrationem pro matrimonii oneribus sustinendis, adeoque non patronatum.

Questio 74. Num illegitimo, & maxime spurio, aut etiam irregulari competere possit jus patronatus, & presentare.

Respondeo affirmativè: Azor. *cit. cap.* 21. *qu.* 25. Roch. *v. competens q.* 2. Castrop. *n.* 24. Pirh. *n.* 19. possunt enim tales fundare, dotare ecclesiam; at cuiuslibet fundanti ecclesiam absque ulla exceptione conceditur patronatus. *c. piamenti. c. quicumque. c. 6. q.* 7. item potest castrum, cui annexus patronatus, emere vel donatione aut legato accipere. Nec obstat tales esse incapaces beneficii & pensionis ecclesiasticæ; quia hæc requirunt ordinem, & solum clerico communicantur; patronatus autem etiam laico competit. Neque obstat, inhabiles esse ad officia publica; quia juris patronatus exercitium non est officium publicum, sed privatum, ut Azor. *loc. cit. q.* 17. neque semper exercendum, sed cum beneficium vacat Castrop. *cit. n.* 24.

Questio 75. An & qualiter excommunicatus sit capax juris patronatus & presentandi?

1. Respondeo primò: etsi excommunicatus excommunicatione majore non amittat jus patronatus ante excommunicationem habitum; ejus tamen usu & exercitio privatur, donec fuerit absolutus. Pirh. *n.* 21. ex Azor. *cit. c.* 21. *q.* 9.

2. Respondeo secundò: potest etiam Episcopus consentire ut excommunicatus toleratus, & non vitandus, ædificando ecclesiam acquirat jus patronatus; etsi exercitium illius non habeat ante absolutionem. Pirh. *ibidem.* citans Jo. And. *in c. nobis h. t. n.* 3.

3. Respondeo tertio: prælatus excommunicatus ædificans vel dotans ecclesiam indubitatè jus patro-

natús acquirat ecclesiæ vel monasterio. Pirh. *ibidem.*

4. Respondeo quartò: patronus excommunicatus, sive laicus, sive Ecclesiasticus, sive vitandus, sive non vitandus, licitè presentare non potest juxta Pirh. *ibidem.* Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *num.* 162. citans Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 307. ubi tamen is de hoc nihil; eò quòd ei in hoc nullus factus favor per extray. *ad evitanda;* de cetero autem excommunicato prohibitum sit omne exercitium & usus juris Ecclesiastici.

5. Respondeo quintò: excommunicatus vitandus ne quidem validè presentare potest, ita ut institutio ab Episcopo facta ad presentationem talis patroni sit irrita. Pirh. citans Covar. *in c. alma.* Barb. verò *loc. cit.* abstrahens à vitando & non vitando, admittit, patronum laicum excommunicatum posse presentare validè, non verò ecclesiasticum, citatque pro hoc Sayr. *de cens. l.* 2. *c.* 6. *n.* 7. contra Suarez, *loco paulo post citando n.* 31. sic patronum laicum excommunicatum publicum, modò denunciatus non sit, presentare validè docet Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 317. citans Zoefium *de jure patronatus v. competens. q.* 2. *num.* 22. Rebuff. *cit. de excom. non vitand. Gomes. de expell. nu.* 60. Zerol. *in princ. p.* 1. *v. beneficia §.* 5. Sayr. *de censu. l.* 2. *c.* 6. *n.* 8. & c. contra Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 2. *art.* 2. & 3. *n.* 9. Covar. Chock. & c. hoc nixos fundamento, quòd presentatus incurrat excommunicationem communicando cum patrono excommunicato, quòd falsum est, quia non est necessaria talis communicatio in presentatione; insuper absolvi potest ante institutionem, nec communicando cum excommunicato incurritur excommunicatio, nisi sit denunciatus, vel etiam notorius clerici percussor, Gar. *n.* 318. verum tamen, ut subdit Garc. *n.* 319. potest Episcopus non admittere presentationem à tali laico factam, cum is malè faciat presentando, licet non sit denunciatus, & si aliàs intra tempus datum non presentaret legitimè, daretur devolutio, ut Suar. *to. 5. de cens. d.* 14. *§.* 2. *n.* 8. facta tamen semel scienter, sive etiam ignoranter admisà tali presentatione, tenetur presentatum admittere; cum presentatio patroni laici excommunicati publici sit valida, adeoque ex ea jus aliquod quæsitum presentato; quòd verò docet Garc. *loc. cit. n.* 316. contra Suar. *l. c. n.* 31. invalidam esse presentationem factam à patrono ecclesiastico excommunicato etiam occulto, dum is jure singulari & ratione officii privati presentat, non subsistit ex dicendis de collatione, quæ vide.

6. Respondeo sextò: excommunicatus non vitandus seu toleratus, etsi obligare non possit Episcopum ad accipiendam presentationem à se factam (cum quantum communicare cum tali excommunicato liceat, nemo tamen ad id obligetur, acceptatio autem presentationis sit quædam communicatio cum patrono excommunicato) potest tamen Episcopus eam admittere validè, & licitè; quia non tenetur vitare talem excommunicatum. Pirh. *ibidem* citans Suar. *d.* 14. *de cens. §.* 2. *n.* 30.

7. Respondeo septimò: denique excommunicato, etiam vitando, non currit tempus ad presentandum præscriptum, si is non sit in mora petendæ absolutionis; quia tunc censetur legitime impeditus; secus, si excommunicatus sit in mora legitime presentandi, quatenus est in mora tollendi hoc impedimentum per petitionem & obtentionem absolutionis; tunc enim Episcopus, evolutò tempore dato ad presentandum, liberè potest conferre tale beneficium. Pirh. *n.* 22. citans Zoefium *t. 2. n.* 58. porro aut Pirh. *cit. n.* 21. *in fine,* presentationem in jure æqui-

valere electioni, ita ut quæ de hoc statuta sunt, plerumque etiam locum habeant in præsentatione secundum Gloss. in c. ultim. de elect. in 6. v. electione, vide proinde de super dicta quoad excommunicatos, aliæ censurâ Ecclesiasticâ irretitos.

Questio 76. An possessor juris patronatûs, cui vere dominium illius non competit, obtineat jura patronatûs, etiam post contestatam litem, intellige, motam super ipsum jus patronatûs, seu proprietatem juris patronatûs, & non super possessionem?

Respondeo ad primum affirmativè; dum est possessor bonæ fidei (qualis erit, dum probabilibus fundamentis credit patronatum sibi deberi. Castrop. n. 25. Azor. cit. q. 17. ex Abb. in c. consultationibus. b. r.) secus si malæ fidei; ita expressè cit. c. consult. Gonz. ad reg. mens. gl. 25. n. 6. cum communi, fructus enim rei debentur possessori bonæ fidei. c. gravi. de rest. spoliat. fructus autem juris patronatûs sunt præsentare clericum, honorificum locum tenere, &c. Et procedit id à fortiori, si dicatur cum Abb. Gonz. Azor. l. cit. præsentationem non esse tam fructum naturalem, quàm industrialem, ex eo, quòd patronus industriam apponere debeat, ut persona idonea nominetur, & intra tempus sibi concessum: cum fructus industrialis in omnium sententia debeatur possessori bonæ fidei; Castrop. ibidem ex Covar. v. resol. l. c. 10. n. 16. Unde jam præsentatus à tali, si aliud nihil obstat, est instituendus, & est præsentatio valida, & nullatenus annullanda, etiam postquam constiterit, jus patronatûs spectare ad alium, etiam si dicatur, præsentare esse fructum naturalem; nam possessor bonæ fidei non tenetur fructus naturales bonæ fidei consumptos restituere, nisi ex illis factus sit ditior; factâ autem præsentatione jam ille fructus juris patronatûs consumitur, neque patronus factus est ex illo ditior. Castrop. loc. cit. citans Abb. in c. consultatione. in fine. Laym. ad c. querelam. de elect. n. 7. Corrad. l. 1. c. 6. n. 360.

2. Respondet ad secundum negativè Glm. c. cum venissent. de integ. restit. cui consentire videtur Laym. loc. cit. ed quòd, licet possessori fidei debeantur fructus rei post litem contestatam, seu lite pendente, quousque ea definiatur, ipse tamen eos accipiat sub obligatione restituendi vero Domino, si causâ cadat. Jam verò hanc obligationem subire nequeat possessor juris patronatûs; cum facta præsentatione, & institutione securâ, hæc revocari nequeat; & licet præsentatio revocari posset non secutâ institutione; cum tamen præsentatio ordinetur ad institutionem, illâ lite pendente inutiliter fieret, si lite pendente institui nequit præsentatus. Contrarium tamen tenet Castrop. loc. cit. Abb. in c. ex literis. b. r. n. 7. & 8. Azor. loc. cit. q. 18. ed quòd, dum possessor juris patronatûs factâ præsentationem cadit causâ, possit adhuc facere restitutionem, habendo causam præsentationem à se factam, quæ non propterea fit inutiliter; quòd autem non sequatur institutio, sed sufficiat eam sequi lite finitâ; quin & cum sequi possit lite adhuc pendente, institutio, esto, hæc fit irrevocabilis; id enim favore Ecclesiæ conceditur, ne ob litium longitudinem vacet diutius; insuper hujusmodi fructus, cum non consistat in commodo pecuniario, esto, possessor bonæ fidei alios fructus restituere teneatur, non videatur ad hujus fructus restitutionem obligari.

Questio 77. An, & qualiter jus præsentandi ad prælaturas Ecclesiarum conventualium aut collegiatarum haberi possit per laicos?

Respondeo: id nequaquam iis competere, de quò dictum satis supra, nisi fortè de speciali privilegio Papæ, quâ ratione id competit regibus Hispaniarum. Laym. ad c. nullus. de elect. n. 14. & videre est in concilio Tolet. 12. c. 6. item regibus Galliæ concessa potestas Episcopos aliòsque prælatos nominandi & præsentandi summo Pontifici, ut videre est in Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 11. in Epistola ipsius Leonis, cujus initium primitiva. Item regibus Poloniæ, de quo Laym. ad c. si archiepiscopus, de temp. ordin.

PARAGRAPHVS V.

Qualiter jus patronatûs probari debeat, & de eo constare, ut quis admittatur ad præsentandum.

Questio 78. Quotuplex sit probatio juris patronatûs in genere, hoc est tam ex privilegio, quàm ex jure communi habiti.

Respondeo duplex: una vera seu irrefragabilis; quando exhibetur publicum instrumentum, si-ve privilegii si-ve foundationis. Altera præsumpta, & nihilominus legitima, quæ assertur ex immemoriali quasi possessione & præscriptione; cum minor non sit virtus præscriptionis in nanciscendo dominio, quàm traditionis procedentis à vero Domino juxta l. traditionis. C. de pactis Lott. l. 2. q. 7. n. 27. & seq. citans Feder. de Senis cons. 234. n. 1. Paul. de Citad. trade jurep. 3. p. causa 5. n. 1. & 26.

Questio 79. Quot modis probetur, & probandum sit jure novo Tridentini Jus patronatûs quò ad proprietatem; de quasi possessione enim queretur postmodum, &c.

Respondeo: jus patronatûs privatorum, in quibus regulariter non præsumitur usurpatio, probandum tribus modis; nimirum vel ostendendo titulum ex fundatione, vel dotatione per authentica documenta, & alia à jure requisita vel per multiplicatas longissimo temporis cursu, qui hominum memoriam excedat, præsentationes vel alias secundum juris dispositionem.

2. Jus verò patronatûs in iis personis, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potiùs acquisitum præsumi solet, quales sunt persona potentes, communitates, vel universitates, pleniorè & exactiorè ad docendum verum titulum requirit probationem, nec immemorialis temporis probatio aliter ei suffragatur, quàm si præter reliqua ad eam communia præsentationes, etiam continuatæ, non minori saltè, quàm 50. annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur, ita expressè decernit Trid. sess. 25. c. 9. ex quibus vides concilium quòd ad modum & formam probandi jus patronatûs privatorum nihil inno-vasse; ideòque proceditur cum regulis generalibus juris communis; quibus attenditur; ubi constat de explicite

plicito titulo foundationis, vel dotationis, vel de alio privilegio seu mixto, nulla cadit questio circa probationem, uti & tunc quod ad potentes nihil innovatum est. Card. de Luca in sum. juris. n. 50. De cetero autem concilium respectu potentium juris dispositionem alterasse, novamque formam rigorosam induxisse in eo eorum jure patronatus, quod ex sola diuturna possessione seu prescriptione acquisitum prætenditur, ob malam usurpationis presumptionem. C. de Luca. *ibid.* n. 57. Porro an, dum personæ potentes se non astringunt ad titulum resultantem à sola diuturna possessione, sed allegant, & probare volunt titulum explicitum foundationis vel dotationis, sufficiat probatio hujus tituli per testes, vel alias probationis species, diversa sunt opiniones, ut Card. de Luca *loc. cit.* n. 69. quarum utramque ait recipiendam respectivè pro qualitate facti, prout nimirum militat, vel excluditur illa suspicio, ob quam in potentibus hæc rigorosa forma inducta, idque pro judicis vel superioris prudenti arbitrio; unde jam in specie sit

Questio 80. Qualiter probetur jus patronatus privatorum per authenticum documentum, & alia à jure requisita; seu quid veniat hic nomine authentici documenti?

1. **R**espondeo: tametsi documentum nomen sit genericum, comprehendens tam scripturas authenticas & publicas trium vel duorum testium subscriptione vel præsentia confectas per manum publicam, quæ veniant nomine instrumenti, quam probationes quasvis alias, quibus de veritate docemur. v.g. quæ fiunt per testes, etiam deponentes de tenore & amissione scripturæ: in præsentia tamen ad documentum arctari ad scripturam, & usurpatum à Tridentino pro instrumento, ne aliàs reliqua verba sequentia in dicto concilii decreto sint superflua, ut quid enim (si comprehenderentur aliæ probationes) subungere necesse erat: sive etiam ex multiplicatis præsentationibus, alijsq; secundum juris dispositionem. Castrop. *cit.* d. 2. p. 3. n. 3. citans Leon. in thes. for. Eccl. c. 21. n. 2. Barb. de pos. Ep. p. 3. alleg. 72. n. 22. Gonz. gl. 18 n. 32. In præsentia autem scriptura authentica erit Bulla Episcopi, seu consensus illius, in scripto concessus ad fundandam vel dotandam ecclesiam. Castrop. *ibid.* n. 2. citans Barb. ubi ante n. 24. Ricc. in pr. for. eccl. resol. 125. Quod si non originalis ipsa Bulla, sed solum illius exemplar & transumptum ostendatur, ut fidem faciat, debet habere à jure requisita in ejus confectioe, extractione, compulsatione juxta cap. cum p. Tabellio. de fide instrum. (de quibus optimè Covarr. pract. qq. c. 21. & Menoch. de arb. casu 87.) nimirum ut sit extractum auctoritate judicis, & cum citatione illorum, quorum interest, & insuper originale, nisi antiquissimum sit, recognoscendum, si de ejus fide dubitetur. Castrop. *ibidem*, citans Gonz. ubi ante à n. 40.

2. Porro dum dicta explicita & vera probatio haberi nequit, recurrendum ad præsumptivam seu adminiculativam. Inter quas prima est immemorialis vel centenaria (quæ immemoriali in hoc æquipollet) bene probata, absque eo, quod constet de initio, infecto, incompatibilis; planum est enim eam sufficientem esse, etiam foundationis & dotationis; cum vi illius optimus & validior titulus allegari valeat. Nisi tamen hæc præsumptio à contraria probatione, vel fortiori præsumptione elidatur; quia nempe qualitas personæ dictam præsumptam pro-

babilitatem excludit, v.g. quod jus præsentandi Rectorem hospitalis esse consuevit penes pauperes ibi existentes; cum præsumi nequeat, eos fundasse hospitale aut dotasse. Card. Luca in sum. juris. p. 51.

Questio 81. Qualiter jus patronatus privatorum ex fundatione vel dotatione probetur ex præsentationibus multiplicatis per antiquissimum temporis cursum; ubi maximè petitur, quot præsentationes requirantur, & qualiter earum immemoriale probetur?

1. **R**espondeo ad primū: ad hoc requiri ad minus præsentationes tres; sed quod dictio *multiplex* in sua propria significatione non videatur pauciore numero contenta; cum multiplicari non dicatur illud, quod semel tantum repetitum est. Et esto, præsentatio bis facta sufficiat, ut dici possit præsentationem multiplicatam esse, non tamen adhuc dici posset multiplicata cum ea quantitate, quam requirit concilium; nimirum ut multiplicata sit per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat (quale ad minimum est tempus centenarium, ut Menoch. de arb. casu. 3. Farinacius p. 1. prax. crimin. q. 47. n. 112. Barb. de pos. Ep. p. 3. alleg. 72. n. 35. & c. apud Castrop. l. c. num. 4. nam qui sexagenarium voluit sufficere, intelligendi sunt de depositione testium) intra quod vix contingere potest, quod præsentatio semel tantum repetita memoriam hominum excedat: ita tenet Castrop. *loc. cit.* contra Barb. *loc. cit.* n. 31. Riccium in pr. resol. 127. & c. sententias sufficere præsentationes duas, eò quod pluralis locutio de reg. juris in 6. & dictio *multiplex* in duobus verificari possit, præsertim in materia odiosa, & juris communis restrictiva, qualis hæc est.

2. Respondeo ad secundum: licet per scripturas directè non probetur harum præsentationum immemoriale (cum scriptura non probet memoriam non esse in contrarium) probari tamen indirectè, si probetur per 100. & plures annos fuisse præsentationes continuatas; cum sic tacitè innuatur, nihil esse contrarium. Castrop. n. 5. juxta Rotam.

3. Probatum etiam per testes, si sint ad minimum quadragenarii & deponant, se toto illo tempore vidisse præsentationes continuatas esse, & insuper addant, se ita audivisse antecederent factitatum. Castrop. *ibid.* citans Mol. l. 2. de primogen. c. 6. n. 40. Necesse tamen est, ut deponant, præsentationes continuatas esse per dictum tempus immemoriale usque ad tempus moræ litis. Castrop. citans Barb. *cit.* alleg. 72. n. 38. Item necesse est, ut non constet de infectæ initio, & nullitate tituli; quia tunc, cum jam constet de veritate, cessat præsumptio ex immemoriali resultatans. Mol. *loc. cit.* n. 60. Gonz. gl. 18. n. 49. Covar. apud Castrop. necesse tamen non est in depositione testium vel scripturæ, fieri mentionem foundationis vel dotationis, sed sufficit deponere de multiplicata præsentationis. Gonz. *loc. cit.* num. 46. apud Castrop.

Questio 82. Qualiter præterea probari possit jus patronatus privatorum ex fundatione vel dotatione.

1. **R**espondeo: omnibus illis modis, quibus aliàs à jure tituli probatio conceditur; id enim innuitur per illa Trid. verba: *aliasve secundum juris dispositionem.* Castrop. n. 6. citans Gonz. num. 51. & 58. Barb. *loc. cit.* n. 42. Sic itaque probari potest primò

per

per famam, cum longissima quasi possessione; quia cum hac probatio æquivaleret probationi immemoriali, infert titulum. Barb. num. 43. Gonz. num. 56. Mascard. de prob. conclus. 459. num. 20. apud Castrop. cit. num. 6. ita ut opus non sit, ut testes deponentes de fama deponant, competere patronatû ex fundatione vel dotatione; hoc enim in dubio est præsumendum, ne aliàs patronatus pereat, & sint irritæ præsentationes, juxta Trident. auferens omnes patronatus aliâ viâ acquisitos. Castrop. *ibid.* Barb. n. 44. porro accedente famâ sufficere quadragenariam quasi possessionem, licet detur una tantum præsentatio; dum nempe præsentatus possidet per 40. annos, nec unquam interea evenit casus novæ præsentationis, tradit Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 4. n. 5.* citans Roch. de jurepat. v. competens. q. 14. Puteum l. 1. decis. 87. & Rotam in Pergam. Capellania. 18. Maji 1629. neque enim de necessitate requiritur probatio per multiplicatas præsentationes; cum Trid. quod ad personas, in quibus non cadit præsumptio usurpationis, nihil immutârît, & sic probetur iisdem modis, quibus probatur ante Trident. inter quos præcipuus est probatio centenariæ, vel quadragenariæ, cum fama, etiam sine multiplicatione præsentationum; dum enim actus unicus habet causam successivam & permanentem, nec non continuationem temporis requisiti, inducit præsumptionem sufficientem. Corrad. *ibidem* num. 6. quin & Lott. l. 2. q. 7. n. 47. absolute inquit: quemadmodum fama junctâ quasi possessione, etiam ultima præsentatio sufficit ad justificationem patronatûs, ita sine hac possessione non probat jus patronatûs, quomodocunque versemur in antiquis (nisi fortè ubi versaremur in casu, in quo non foret necessaria plena probatio: tunc enim superflueret ipsa quasi possessio præsentandi, & sufficeret sola fama. Lott. *ibid.* num. 50. citans Mantic. Cassador. &c.) adeoque requiritur utriusque concursus, ubi agitur simpliciter de probatione juris patronatûs. Lott. n. 48. & 49.

2. Secundo, per præscriptionem quadragenariam cum titulo colorato, hoc est, qui justam præscriptionis causam præbere potest; cum hæc probatio æquivaleret immemoriali. Mol. l. c. n. 52. Gonz. n. 57. apud Castrop. Qualiter autè instituitur hæc præscriptio, & ad quid referenda ejus vis, dictum fuit supra, ubi de acquirendo jure patronatûs per præscriptionem ex Lott. l. 2. q. 7. à num. 31. quem vide, ubi etiam num. 44. & seq. quod justificatâ possessione de præsentanti, si cum ea concurrat fama foundationis & dotationis, resultet probata præscriptio, ita ut utramque simul probet præsumptionem, ex qua justificatur patronatus; quia posita istâ famâ, sequitur ratio, ut qui hodie possidet, præsumatur etiam olim atque ab initio possidisse, atque ita præscriptionem coarquare temporis ipsius erectionis, saltem in potentia. Citat Lott. n. 46. pro hoc Alciat. de præsump. reg. 2. præsump. 21. n. 11. & Menoch. l. 6. præsump. 65. n. 4.

3. Tertio, per literas inscriptas lapidi publicè posito, in quibus affirmetur jus patronatûs alicui competere; cum credendum non sit, ministros Ecclesiæ toleratos fuisse talem scripturam, nisi veritatem contineret. Barb. n. 50. Riccius in *pr. for. Eccl. resol.* 125. n. 3. Mascard. de prob. conclus. 105. n. 10. &c. apud Castrop. Lott. l. 2. q. 13. num. 149. subjungens, idem ferè esse de descriptione tali in aliquo antiquo libro. Idem dicendum de armis seu alicujus familie insignibus ab antiquo tempore

positis in Capella aliqua; sic enim manifestè denotari, non esse liberam, sed subjectam juris patronatûs, ut Castrop. *ibidem*. neque enim talis armorum appositio fieri consuevit in re prorsus aliena. Lott. l. cit. num. 147. quod tamen intelligendum ait, nisi possit assignari alia causa istius appositionis. num. 148.

4. Quarto, per literas expeditas ab Ordinario in beneficii institutione, dum is testatur, beneficium jure patronatûs alicui deberi; sic enim tacite innuit talem habere titulum; quia credendum non est, illum taliter concessurum beneficium, nisi sibi de titulo & jure probato talis præsentatoris constaret; cum talis provisio sibi & successoribus sit damnosa. Paris. de resig. l. 8. q. 11. num. 38. Barb. n. 47. apud Castrop. Lott. loc. cit. num. 41. qui tamen num. 144. secus ait esse, si Ordinarius in enunciando patronatum usus fuisset termino potius sonante in negativam, quàm affirmativam, v. g. si dixisset: *ut præsentatur*; in hoc enim casu non fore enunciativam illam considerabilem, nisi fortè re-latum id esset, non ad existentiam juris patronatûs, sed ad pertinentiam, non suffecturam unam talem institutionem; cum dicat Concilium probandam ex multiplicatis præsentationibus, & consequenter ex præsentationibus effectuatâ, seu quas institutio subsecuta fuit; quamvis si ex vi talis unius institutionis præsentationem quis faceret, putet, illum quadragenario tempore præscripturum; cum talis institutio titulum saltem coloratum concedat, & consequenter sufficientem, ut quadragenario tempore præscribatur.

5. Quinto: ex libris visitationum, si in iisdem beneficium subjectum esset juris patronatûs, ed quod, cum in hoc patronatu agatur de gravi Ordinariorum præjudicio, credendum non sit, sine sufficiente fundamentò visitatores, declaratos fuisset in favorem patronatûs. Castrop. loc. cit. Lott. num. 151. juxta decisionem Rotæ, quam citat. Item, & quidem à fortiori, idem procedit in sententia Ordinarii super litem moram de beneficii statu, quæ ex testium depositione procedit. Castrop. *ibid.* citans Barb. num. 49. consentiente Rotâ apud Farinac. tom. 2. decisione 567. Lott. num. 152. qui tamen, dum hæc omnia hucusque enumerata, excepto primo & secundo num. 141. vocat adminicula ad coadjuvandam probationem, credo, loquitur respectu probationis illius rigorosè juris patronatûs potentium, utpote de qua immediate ante egerat. Addit etiam idem pro maximo tali adminiculo existentis juris patronatûs, si beneficium esset in Ecclesia patronata, & aliud contrarium non appareret. num. 145.

6. Sexto: probari sufficienter illum titulum ex subsidio præstito alicui tanquam patrono, præcipue si hoc subsidium sit in detrimentum aliorum, quale est, si alicui concessus locus primus in Ecclesia non nisi patronis concedi solitus; cum credendum non sit, ceteros id permitturos fuisse, censent Barb. loc. cit. num. 46. & Moheda de jure patronat. decis. 10. apud Castrop. quod tamen ipse reprobat, etiam dum fuisset quis in quasi possessione immemoriali talis loci dignioris, eò quod, cum beneficium fundari potuerit renunciando juri præsentationis, & solum admittendo locum honorificum, credendum sit, ita fundatum fuisse. Item, cum absque fundatione beneficii, & absque jure præsentandi potuerit concedi loci honorificentia, ex illa male inferatur jus patronatûs quò ad potestatem præsentandi;

tandi; atque Castrop. favere sibi in hoc textum cum Gl. in c. cum Bertholdus. de sent. & re judicata, & Rotam decis. 1245. n. 3. divers. Verum circa hac aliaque adminicula recte monet Card. de Luca in summa. jurispatr. num. 53. quæ sufficient, quæ non, certam regulam dari non posse; sed pro facti qualitate decidendum, attentis scilicet more regionis, qualitate Ordinarii, qualitate personæ prætendentis jus patronatus; an ei magis vel minus congruat, seu approximetur ratio, quæ movit Concil. Trid. ad præscribendam rigorosam illam formam: Unde aliqua in uno casu admittenda, in alio non, ac proinde etiam ponderandum præcipue, an hic & nunc urgeant alia in contrarium: spectandus etiam effectus, in ordine ad quem probatio ista instituitur, an principaliter cum Ordinario contendat, an cum alio, similiter prætendente patronatum; de quo vide Card. de Luca num. 55.

Quæstio 83. Quando nam necessaria probatio jurispatronatus plena, & quando sufficiat semiplena?

Respondeo: quemadmodum requiritur plena probatio domini, dum de eo agitur principaliter, & sufficit semiplena, dum de eo agitur incidenter; sic etiam in patronatu. Lott. l. 2. q. 17. n. 110. Porro tunc dicitur incidenter agi de patronatu, dum nemo est, qui libertatem Ecclesiæ astruat, seu sibi vendicat, veluti si simpliciter tractetur de justificatione gratiæ. Lott. loc. cit. n. 112. citans Mant. decis. 244. n. 5. Idem est, etiam si agatur de justificatione clausulæ: *Verificato jure patronatus coram Ordinario consuetæ apponi in literis Apostolicis, dum Papa mandat provideri tanquam de beneficio jurispatronatus; licet enim ea clausula contineat conditionem; videaturque ideo justificanda plene & concludenter; nihilominus id non obtinet, si simpliciter tractetur de justificatione gratiæ.* Lott. num. 113. citans Mant. decis. 208. in principio. Vel etiam, si agatur ad effectum præeminentiarum. Lott. num. 112. juxta decis. Rotæ 548. num. 2. p. 1. *Recent.* dicitur verò quæri principaliter de patronatu, si est contradictor, qui libertatem Ecclesiæ vendicat, sive is sit Episcopus, sive provivus ab eo, aut à Papa tanquam de libero; hoc enim casu, quia urget præsumptio pro libertate Ecclesiæ, præcipue, si concurreret ultimus status, ut Seraphin. decis. 1120. n. 1. & simul concurrat, qui eam alleger (quod necessarium est juxta Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 48. num. 2. & 3.) exigitur plena probatio, maxime, si contradictor esset provivus à Papa tanquam de reservato; tunc enim illa quasi possessio (quæ aliàs, si incidenter ageretur de patronatu, argueret proprietatem, juxta Seraphin. decis. 832. num. 1.) remanet infecta & nullius considerationis, ut decisum pluries à Rota decis. 222. n. 1. decis. 224. num. 3. p. 1. *Recent.* Lott. à num. 114. qui etiam num. 120. addit, hoc postremum, etiam præscindendo ab effectu reservationis, esse quoque admittendum in aliis casibus, ubi vendicatur Ecclesiæ libertas, extra tamen articulum manutentionis; licet enim præsumptio descendens ex quasi possessione servitutis reputetur potentior eâ, quæ est pro libertate, ut Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 29. num. 12. id tamen intelligitur respectu rei & possessionis in summario summo possessorio retinendæ, non tamen respectu

Actoris inferentis ex tali possessione ad proprietatem.

Quæstio 84. Quò ad probationem jurispatronatus illorum, in quibus plerumque præsumitur usurpatio, in quo fundetur dicta præsumptio, & qui censentur tales?

1. **R**espondeo ad primum: fundari illam præsumptionem, vel in potentia personæ, quæ tanta supponitur, ut ex ea possit argui reverentia, vel concussio in eo, qui debuisset defendere libertatem Ecclesiæ, quæq; potentia non solum æstimate, ut paulò post dicitur pluribus, ex jurisdictione, sed etiam ex summa nobilitate alicujus familiæ; cum æquiparentur ad hunc effectum hujus potentia, esse de magna aliqua parentela, & esse Dominum alicujus oppidi aut civitatis, ut Bald. cons. 347. l. 1. vel in verisimilitudine, quæ maxime deprehenditur, dum plures parochiani, vel familiæ sibi hoc jus vendicant; cum verisimile non sit, quòd à principio plures familiæ diversæ ita convenirent, ut fundarent, dotarentve Ecclesiam. ita Lott. l. 2. q. 13. num. 35.

2. Respondeo secundò: tales, ut censuit sacra Congregatio Concilii, sunt primò: Duces, Marchiones, Comites, alique Domini Civitatum, locorum, castrorum, perpetuam in Vasallos jurisdictionem habentes, ubi fundatum est beneficium, tametsi ipsi superiore recognoscant, Castrop. num. 2. citans Gonz. num. 66. Barb. num. 65. Ricca. resol. 132. num. 1. Card. Luca. in summa de jure p. n. 72. qui etiam num. 73. addit, comprehendi adhuc Duces & Marchiones vera, & non abusive dignitatis, feuda habentes, etiam cum supremo imperio ac regalibus, etiam majoribus, vel etiam fortaliorum & castrorum possessiones in alodium independentes à quocunque, aded ut nulli alteri supremo Domino teneantur ullum fidelitatis iuramentum, vel servitium præstare: & non excipi nisi Reges, eosque sublimes & supremos principes, qui cum jure belli publici & potentia exercitûs regni jura de facto habent; e contra verò num. 75. ait, à dicta regula inductiva potentia ratione domini ac juris temporalis excipi personas Ecclesiasticas ratione Ecclesiasticæ dignitatis vel beneficii, seu officii tale dominium vel jurisdictionem temporalem habentes; cum in iis non intret mala præsumptio, quæ causa fuit, ut dicta forma rigidior probationis induceretur; nisi fortè constaret de malo initio; quòd nimirum persona talis ecclesiastica dominium temporale cum annexo ei jure patronatus à domino temporali habuerit: spectatur siquidem, ut idem Card. n. 74. origo seu initium; unde licet jus patronatus possideatur à privato; si tamen proveniat à potente, rigorosa huic formæ subjeceretur, nisi aded diuturna privati possessio hujusmodi maculam purgavit pro qualitate facti; unde etiam, si jus patronatus originarè possessum per Baronem, seu domicellum inferiorem aliàs, quam per consolidationem, transfret ad habentem jus regni; nequaquam exciperetur, sed retineret naturam suam. E contra nil refert, patronatum possideri à potente, quem constat habuisse causam, seu initium à privato ac ab eo possessum.

3. Secundò: universitates ac civitates, etiam si dominium & jurisdictionem non habeant, & licet hæc parva sint, quia hoc non tollit potentiam, cui in ista decisione nititur Tridentinum. Castrop. loc. cit.

cit. Gonz. num. 63. Barb. num. 62. Garc. p. 5. c. 9. num. 102. Card. Luca loc. cit. num. 76. Porro sub nomine Universitatis vel communitalis venire adhuc universitatem parochianorum, tradit *ibidem* Garcias citans Rotam in foro *sempron. parochialis*. 4. Febr. 1596. in qua dictum, sic resolvisse S. Congreg. non tamen venire Capitulum Ecclesie Cathedralis. Gonz. loc. cit. num. 55. juxta Rot. *decis.* 798. num. 4. p. 1. *divers.* apud Castrop. Idem est de Capitulis aliis, Collegiis vel confraternitatibus; & in genere de quibuscunque Universitatibus Ecclesiasticis, utpote in quibus præter præsumptionem non usurpati iuris patronatus resultantem à jurisdictione vel visitatione, quæ subjicitur Episcopo, cadit etiam possibilitas fundationis, vel donationis. Card. Luca. loc. cit. num. 77. ubi etiam, quod parvæ universitates, etsi non ecclesiasticæ, in quibus dicta inverisimilitudo locum non habet, sed cadit eadem possibilitas fundandi vel dorandi, ut sunt Collegia, vel Universitates quorundam professorum vel mercatorum; secus enim esset, si caderet in iis, uti etiam in universitatibus parvis ecclesiasticis dicta inverisimilitudo, quod talis Universitas fundare potuit, v. g. si pauperes hospitalis haberent præsentare Rectorem. Pro quo

4. Observandum, quod quamvis, ut pluries firmavit Rota, ut videre est apud Corrad. l. 4. c. 4. num. 43. ad hoc, ut quis dicatur persona potens, adeoque intret præsumptio usurpationis, opus sit, ut in loco beneficii exerceat, vel exercuerit jurisdictionem aliquam (secus est, si in ipso hoc loco absque exercitio in eo ante hac dominio & jurisdictione censeatur jure privatorum. Card. Luca loc. cit. num. 72.) nihilominus cum quoque hac potentia probetur ex divitiis, amicis, numerositate familiae & familiarium (quam tamen præsumptionem usurpationis ex numerositate familiarium cessare ait Lott. l. 2. q. 13. num. 137. ubi constare, eas omnes ab uno stipite descendisse ac populi existimatione, ut DD. in l. 1. c. ne liceat in potentiorum; ac proinde potentia illa iudici arbitrandam relinquitur, Rota ab opinione recessit in una *Ferrariensi Archiepiscopali*. 26. Junii 1626. ubi dictum, sufficere, potentiam in loco, quamvis non sit conjuncta cum jurisdictione ex eo; quod S. Congreg. Concilii sic sæpe censuerit. Corrad. loc. cit. & num. 44. cum & non raro, ut experientia constat, etiam sine maxima, imò cum parva potentia videamus usurpari ea; ed quod nonnulli Ordinarii non audeant contradicere. Corrad. *ibid.* De cetero, tamen aliàs jus patronatus fuisse in manu alicujus potentis, ac proinde tunc præsumatur ex usurpatione; cessare tamen istam præsumptionem per contrariam præsumptionem, quæ oritur ex eo, quod jus patronatus hujusmodi est translatum in non potentem tradit *ibid.* Corrad. juxta decisionem Rotæ in una *Bononiensi jurispatr.* apud Farinac. *decis.* 191. n. 1. p. 1. in *posthum.* Similiter cessare præsumptionem usurpationis iuris patronatus, dum ipsa Ecclesia est patrona Castri & jurisdictionis, Abbatia vel Abbas, exercens iuris jurisdictionem temporalem, censet Corrad. num. 42. citans Rotam in una *Papiensi jurispatr.* 18. Junii 1630. & declarationem S. Congreg. in una *Sublacensi*. 12. Septembr. 1621. ed quod de Ecclesia Domina Castri timeri non possit; ne quis ei contradicere audeat; cum semper subjiciatur suo superiori absque contradictione, nec bona Ecclesie usurpare præsumatur, sicut contra laicum suspicari possemus. Cessare hanc præsumptionem

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

usurpationis in supradictis Magnatibus & Communitatibus potentibus, ac consequenter non intrare dispositionem Tridentini, si beneficiorum Collator sit æquè potens; ed quod tunc ratione æqualis potentie non foret permittitur juri debito derogari, tenuit Rota apud Farinac. *decis.* 578. tom. 2. Castrop. cit. num. 7. Corrad. loc. cit. num. 14. Quin & hanc præsumptionem regulariter solum esse in iis locis, in quibus beneficiorum collatores sunt Episcopo inferiores (quod tamen intelligendum, credo, de locis, ubi Episcopi ordinariè sunt potentes, ut in Hispania, Germania) affirmant Barb. loc. cit. num. 62. Achilles de Graff. de *jure patronatus decis.* 4. Puteus l. 1. *decis.* 58. apud Castrop.

Questio 85. Quis ergo sit modus probandi jus patronatus ex fundatione, dotatione dictarum personarum, in quibus est præsumptio usurpationis?

1. Respondeo: si non fiat per Authenticum instrumentum, sed per probationem immemoriam (ad cujus immemorialis probationem non tempus ante Concilium, sed tempus decursum usque ad motam litem spectandum est, Castrop. citans Gonz. num. 89. juxta declarationem S. Congreg. quæ item immemorialis probari potest per testes subditos, seu Vasallos, præsertim, ubi testium non subditorum mixtura, vel testium qualitas aut numerus, seu alia circumstantia supplet illum defectum, qui timeri possent: Card. de Luca in *summ. jurispatr.* n. 59. item per scripturas, ita etiam, ut hæc probatio in hac materia reputetur melior, idem Card. n. 60. quod ad alia verò hujus immemorialis nihil statutum specialiter, sed intrant termini generales, cuique materie congrui ad hanc præscriptionem bene concludendam. Idem *ibidem*) debet huic probationi superaddi probatio per authenticas scripturas continuarum præsentationum, quæ effectum fortitæ sint per tempus continuum 50. annorum (numerandorum ab illa præsentatione; quæ apparet fortitæ fuisse effectum, usque ad diem, in quo lis movetur, Castrop. num. 12. citans Barb.) Gonz. gl. 18. num. 76. Garc. p. 5. c. 9. à num. 98. apud Lott. l. 2. q. 38. num. 35. adeoque probatio iuris patronatus in his potentibus tota quidem (dum deficit publicum instrumentum fundationis & dotationis) attribuitur immemorialis, sed immemorialis qualificata, id est, non solum probata ex requisitis per Gl. c. 1. de *prescript. in 6. v. memoria*, sed etiam qualificata ex dictis præsentationibus constantibus ex publicis & authenticis instrumentis; atque in hoc consistit nova illa forma probandi immemoriam, quam hoc suo decreto aliter, quam à jure communi erat dispositum, introduxit quod ad jus patronatus Tridentinum, Lott. cit. q. 38. à n. 45. ita ut non sufficiat probasse præsentationes primas & postremas istius temporis quinquagenarii, si alia intermedia omnittatur: nam licet probatis extremis media præsumantur probata, ut Tiraq. de *presumpt.* gl. 5. §. 1. & Rota apud Farinac. tom. 2. *decis.* 577. non tamen per hoc est probata continuatio, nisi tantum præsumptivè & argutivè; Concilium autem non contentum hac præsumptivâ probatione, requirit veram probationem continuarum præsentationum, Castrop. num. 8. citans Gonz. num. 73. Barb. num. 54. Ricc. *resol.* 133. Paris. de *confidentia*. q. 28. num. 255. quamvis Card. de Luca in *summ. jurispatr.* num. 66.

D 2

dicat

dicat contrarium sibi videri probabilis. Item ut non sufficiat probare unam probationem, etsi hæc toto dicto spatio quadragenario effectum sortita sit; eod quod decretum conciliare, nitatur numero plurali. Card. Luca *ibidem*, num. 64. quamvis addat, quod huic opinioni tanquam magis receptæ cedere oporteat in obsequium auctoritatis, quamvis ratio contraria videatur, dum spectato fine, seu effectu, in iure habetur, numerum pluralem verificabilem esse de singulari, & singularem de plurali; & sicut in quadragenaria ad hunc aliisque effectus etiam unicus actus, qui toto tempore durationem habuit, ac effectum sortitus est, sufficit, ita à pari. Item ut non sufficiat continuatas præsentationes probare non authenticas scripturas, nisi hæc effectum sortitæ sint, hoc est, præsentatus vi illarum institutus fuerit, & possessionem acceperit. Castrop. *ibidem*. & apud illum Gonz. *loci cit.* num. 85. Barb. num. 56. Calderin. *de iure patr. consil.* 12. Castrenf. *tit. eodem decis.* 5. Probabile quoque est requiri insuper necessarium, ut per easdem scripturas authenticas probetur hoc ipsum, nimirum, quod dictæ præsentationes effectum sortitæ sint; tum quia Concilium requirendo, ut per scripturas probentur præsentationes, quæ effectum sortitæ sunt, vult probari eas unâ cum hac qualitate à se requisita: tum quia in hac præsentationum probatione non confidit de testibus, hi induci non debeant ad probandâ hanc qualitatem dictarum præsentationum à Concilio requisitam. Gonz. num. 82. Barb. num. 60. testans sic à Rota decisum, quos citat & sequitur Castrop. contra Card. de Luca *in summ. iuris patr.* nu. 65. Garc. p. 5. c. 9. num. 105. putantes, hanc probationem esse nimium difficilem; cum dicta effectuatio præsentationum non solum consistat in institutione, sed etiam in acquisitione possessionis; quamvis addat Castrop. ex Gonz. num. 87. hoc ipso, quod quis probet præsentationes continuatas esse, simul probet effectum sortitas esse; cum præsentationes continuari nequeant, nisi ad vacationem unius præsentationis alius præsentetur; quod ipsum tradit Garc. n. 106. adeoque in re ipsa parum dissidere videntur.

2. Denique, ut Lott. *loc. cit.* à n. 36. citans pro hoc plures Rotæ decisiones, requiritur, ut unaquæque istarum præsentationum constet publico instrumento, id est, rogato per Notarium publicum testibus adhibitis, & cum aliis requisitis per Gloss. in l. 10. c. de Tabulariis, & eo quidem seorsim confecto ab actu institutionis, ita ut non sufficiant literæ patentes cum sigillo, nisi probatâ consuetudine; quidquid sit in patronatibus aliarum personarum, in quibus admittitur probatio præsentationum ex enunciativis in ipsis instrumentis sive literis institutionum, ut Lamb. l. 2. p. 2. q. 10. a. 7. n. 6. Paris. *de resig.* l. 8. q. 11. n. 381. & Rota apud Lott. num. 39. siquidem istæ enunciativæ desumptæ ex publicis literis Episcopi, seu ex instrumentis institutionum majorem vim probandi non sortiuntur, quam testium; quibus in hac materia Concilium non confidit, sed pro forma exigit probationem hanc & authentica instrumenta, & quodvis genus aliud probationis respuit, ut ex mente S. Congr. respondit Rota apud Lott. num. 41.

3. Aliud etiam est, si agatur simpliciter de probando facto præsentationis, & in hoc attenditur omnino enunciativa illa Episcopi, & respectu hujus verum est, sic illud probari ex publicis documentis; aliud est, si agatur de probatione actus præ-

sentationis ad effectum probandi jus patronatus, sive in possessorio, sive in petitorio, & ad hoc non sufficiunt dictæ enunciativæ; cum, qualitercunque sit concepta enunciativa in instrumento institutionis, nihil aliud inde resultat, quam simplex suppositum antecedentis actus, quod nihil probat. Vide de hac distinctione Lott. *loc. cit.* num. 42. & 43. De cetero, dum agitur de probatione etiam ipsius jus patronatus in quovis gradu suo coadjuvandâ per adminicula, nullum esse efficacius, & ipsi probationi vicinius, quam quod sumitur ex antiquis enunciativis, eod quod hæc habeant vim famæ; cum non consueverint Ordinarii esse admodum faciles in admittendis præsentationibus, nisi prius sibi liqueat de iure patronatus, ait Lott. l. 2. q. 13. n. 141. & 142. de cetero Card. de Luca *in summ. iuris patr.* num. 63. ait receptum, sufficere scripturam privatam, etiam per epistolas familiares, eod quod scripturis, etiam privatis recognitis, congruat terminus authenticæ instrumenti, qui etiam num. 68. ait asperum videri, ita literaliter insisti isti formæ, ita ut si constet de pluribus institutionibus dicto vel majore spatio effectuatæ, in quibus præsentationes enunciatur, id non sufficiat, præsertim ubi talis enunciativa in institutionibus contenta aliorum adminiculorum fomentum habet, seu aliâ ex facti circumstantiis est verisimilis.

Questio 86. An igitur in nullo casu admitti & sufficere possit dictarum præsentationum continuatarum probatio per testes? & in specie in eo casu, dum testes deponerent de amissionibus scripturarum, in quibus præsentationes continuatæ continebantur, & de contentis in illis?

Respondeo negativè. Castrop. Garc. de Luca, *loc. cit.* num. 62. (ubi dicit hanc probabiliorum, præsertim dum testium dicta aliorum adminiculorum & verisimilitudinis fomentum habent; etsi contraria opinio plures sequaces habeat) contra Gonz. *cit. gl.* 18. a. num. 75. & 79. hæc enim probatio per testes in dicto casu non obest dispositioni Tridentini requirentis scripturam etiam pro forma, quæ (ut constare videtur ex dictione: *Nec aliter*, tenentque Garc. *loc. cit.* Ricc. *resol.* 134. Barb. num. 58. apud Castrop. pluresque alii apud Garciam) proinde servanda est ad unguem, nec adimpletur per æquipollens, juxta l. cum si. ff. de transaction. & l. non dubium. c. de ll. tales siquidem deponentes de amissione scripturarum & contentis in illis non tam probant præsentationes ex vi suarum depositionum, quam ex vi scripturarum; de quarum tenore testantur; æquivalent enim eorum depositiones scripturarum exhibitioni; unde & dici potest, talis probatio facta per scripturas authenticas non realiter exhibitas, sed per testes declaratas. Castrop. quin & in actu exigente pro forma & probatione sui scripturam, & ubi scriptura est de substantia probationis, admitti probationem per testes deponentes de amissione & tenore scripturæ, docent Cynus, Bald. Bartol. Salicet. in l. testium. c. de testibus. Felin. in c. sicut. de sent. & re judicata. n. 2. Masc. de prob. consil. 416 num. 11. & consil. 809. num. 3. Pallac. Castell. & alii; quos citant sequunturque Castrop. & Garc. Porro hos testes debere insuper deponere, nullum in dictis scripturis apparuisse vitium, sed omnia substantia hæc habuisse locum, signum Tabellionis vel Notarii,

ni, ac proinde hos testes debere esse peritos literarum, v. g. Doctores, Advocatos, Tabelliones vel Notarios, & alijs non plenè sed semiplenè probaturos, ex Anton. Gomez. l. 41. Tauri n. 3, tradit Castrop.

Questio 87. Num facta probatione juris patronatus, juxta Decretum Trident. & presentato per patronum admissio ab Ordinario, si in sequentibus vacationibus dubitetur de validitate juris patronatus, patronus possit repelli à sua quasi possessione presentandi, reneaturque ante presentationem de novo probare titulum?

Respondeo negativè: habet enim tunc patronus in judicio possessorio suam intentionem fundatam, & certè foret id nimis grave, si in singulis presentationibus hæc authentica tituli probatio requiratur. Gonz. cit. gl. 18. num. 15. Barb. in remissione Concilii. sess. 25. c. 9. testans sic decisum à Sac. Congreg. Castrop. cit. num. 12.

Questio 88. Num etiam opus sit rigorosis istis probationibus, & intret dispositio Concilii, dum ius patronatus non adversus Ecclesiam, sed adversus alium patronum probandum est?

Respondeo negativè: Concilium enim non loquitur de hac probatione, quæ Ecclesiam uni potius, quàm alteri subicit, sed de ea, quæ Ecclesiam absolute subicit alicui patrono. Corrad. l. 4. c. 4. n. 42. in fine. testans sic decisum à Rota. Lott. l. 2. q. 13. num. 128. citans Zipæum. Castrop. cit. num. 12. cum Barb. cit. alleg. 72. num. 67.

Questio 89. Num opus illis rigorosis probationibus requisitis ad reprobandum ius patronatus perforarum, in quibus presumitur usurpatio, dum cum tali persona concurrat alia persona, in quam non cadit presumptio talis, v. g. Ecclesia?

Respondeo negativè: tunc enim, quia, etiam remotà ista personâ suspectâ beneficium non acquirit libertatem, suspicio seu præsumptio illa non relevat, ut intret forma à Concilio præscripta, sed sufficit tantummodò probatio ordinaria. Lott. l. 2. q. 13. num. 138. Card. de Luca in summ. jurispr. n. 75. ubi, quòd talis mixtura suffragetur comparatone, quamvis potenti, adeoque per se subjecto dictæ formæ rigorosæ. Corrad. loc. cit. citans decis. Rotæ in una Fesulan. jurispr. apud Cavaler. decis. 79. num. 2. Quòd à potiori locum habet, dum Universitas habet tertiam vel quartam partem, reliquæ autem partes spectant ad patronos distinctos, qui non sunt personæ potentes; quia præterquam, quòd, ut est dictum, etiamsi potens excludatur, beneficium tamen per hoc non remanet liberum, sed de iure patronatus, isti habentes reliquas illas plures partes non tolerarent in comparatone isto potente usurpationem. Corrad. loc. cit. n. 43. citans Gonz. gl. 18. num. 69.

Questio 90. Num rigorosa illa forma Conciliaris probandi necessaria quoque sit ad effectum etiam juris honorifici?

Respondeo negativè: opus enim eà est solum ad effectum juris presentandi, utpote quòd præferret veram Ecclesiæ servitutem. Card. de Luca. loc. cit. num. 78. ubi etiam, quòd eà opus non sit, ubi non principaliter, sed incidenter in Ordine ad alium effectum, quàm illum libertatis Ecclesiæ, vel beneficii agitur de iure patronatus potentium.

Questio 91. Qualiter doceatur, acquiratur, conservetur, & operetur possessio presentandi, de qua, ut Corrad. l. 4. c. 4. n. 4. non secus ac de existentia juris patronatus docendum est ad effectum obtinendi institutionem presentati?

1. Respondeo primò: dum præsuppositâ juris patronatus existentia & Ecclesiæ servitute, ita ut nemo contendat de statu libero, agitur tantum super cumulativo, vel simultaneo concursu patroni cum alio, quem patronus admittit ad presentandum secum, hæc possessio istius admitti acquiratur, & probatur per unicum actum talis simultaneæ presentationis, quamvis non effectuarum, sed reprobatur aut ab alijs patronis contradictum. Neque attenditur, an hæc possessio bona vel malâ fide quærat; imputet enim sibi patronus admittens non patronum ad secum presentandum; cum id continere videatur quasi implicitam concessionem participationis, non quidem ipsius juris patronatus, cujus substantia non transfertur in admittum, quique propterea non efficitur comparatone, sed exercitii tanquam fructus; modò tamen talis admittio non laboret dolo, fraude, aut falso supposito, & admittens sit imperfecti iudicii, sed ex parte admittentis sit perfecta & valida, quæ tamen possessio non præjudicat alijs comparatone vel Ordinario, sed potius interest Ordinarii, illam admitti, dum ita ex admisso & admittente (quatenus sit unicus) in diversa abeuntibus vota in presentando, aperitur Ordinario locus, vel facultas gratificandi, seu etiam liberè conferendi pro ista vice. Card. de Luca in summ. jurispr. à num. 79. De cetero

2. Respondeo secundò: dum contentio est inter possessorem & petitorum non admittentem, quorum unus alterum excludere prætentat; unde agatur de concursu privativo; vel etiam, dum contentio est inter possessorem & Ordinarium, vel alium negantem existentiam juris patronatus, acquiratur possessio, & docetur de ea, etiam unica presentatione, ita ut is dicatur constitutus in quasi possessione juris patronatus, & presentandi, & consequenter manutentendus, donec in petitorio videatur de vero iure, qui semel presentavit cum bona fide (quæ quidem bona fides, dum contentio est inter patronos contententes de pertinentia, præsumitur, donec probetur mala; ubi verò contentio est cum Ordinario contentente de libertate, probanda est à possessore, seu allegante possessionem servitutis ob præsumptionem stantem pro libertate. Card. de Luca loc. cit. n. 82.) credendo se esse patronum, & uti iure suo, presentando privative ad contententem. Card. de Luca ibid. (quamvis is addat, an unicus actus ad id sufficiat, pendere à facti

circumstantiis ac requisitorum istorum aliorum majore vel minore justificatione; ac etiam ex eo; an is, qui scit, & patitur de facili, præjudicare possit; adeoque sibi difficile videri per unicum actum acquiri validam & manutentibilem possessionem contra Ordinarium; item contra successores compatronos venientes independenter ab eo, ob cujus scientiam & patientiam possessio quæ sita sit) Corrad. *loc. cit.* num. 5. & 6. dicens ita fateri DD. omnes in c. *consultationib.* hoc tit.

3. Quæ tamen, ut procedant, insuper requiritur, ut præsentatio ista fuerit clara (maximè, quando titulus præcedens esset contrarius) absolute admissa, & vi illius secuta institutio cum capta possessione, vi cujus institutus habitus fuerit tanquam Rector vel Capellanus in Rectoria vel Capella, ac denique ut ille, in cujus præjudicium quasi possessio acquiritur, hoc sciat & patitur (an autem requiratur scientia vera & expressa, vel sufficiat præsumpta & conjecturalis. Card. Luca ait, pariter à facti qualitate & circumstantiis recipere decisionem) Lott. l. 2. q. 21. num. 53. Corrad. *cit.* num. 6. remittens ad Roch. h. t. v. *competens. a.* num. 43. & Paris. *de resign.* l. 7. q. 23. num. 41. secus proinde foret, ac non probaretur, aut acquireretur per eam quasi possessio præsentandi; dum præsentatio non fuisset clara, sed intricata & obscura, ac proinde videndum de titulo & super petitorio. Corrad. *pr. benef. l. c.* num. 15. saltem, dum non appareat effectuatata per institutionem; sicut enim ex facto pura electionis non quaritur aliqua quasi possessio eligendi, nisi secuta confirmatione; ita etiam ex nudo facto præsentationis nulla quaritur quasi possessio præsentandi, nisi appareat effectuatata per institutionem. Lott. l. 2. q. 18. num. 21. & 22. Item dum præsentatio admittitur, quin & effectuatata cum clausula: *sine præjudicio*; hæc clausula præservat jus, tam in petitorio quam possessorio, ita ut patronus per patientiam præstitam in illo actu tantum, non tamen in futuris, sibi præjudicaverit; Corrad. l. c. num. 12. ex addit: ad Burat. *decis.* 633. num. 15. juxta *decis.* Rotæ. in una *Majoric. jurispat.* 4. Decembris. 1587. Item si præsentatio nec fuit admittitur, nec rejecta. Corrad. num. 13. citans Roch. *ubi ante* num. 36. Item si præsentatio non est effectuatata, nisi in vim concordie, veluti si concordia hujusmodi subsecuta inter provisum & adversarium, qui prætendebat, adversarium non esse patronum; quia cum non constet de acquiescentia, imò constet de contrario, ex illa præsentatione seu provisione, non potest resultare contrarius usus. Corrad. num. 14. citans Rotam *decis.* 301. num. 2. p. 2. *divers.*

4. Ac denique si ab institutione fuisset appellatum, & in causa appellationis fuisset cassata institutio. Corrad. num. 6. porro dum præsentantes sunt in hac quasi possessione præsentandi, non tenentur probare descendenciam à fundatore, vel ab illis personis, quæ in antiquioribus vacationibus præsentarunt, seu ab antiquioribus patronis, sed tantummodo, quòd sint in quasi possessione præsentandi. Corrad. num. 9. Ude etiã parùm refert, si opponatur de non titulo; cum titulus non sit necessarius in judicio Summarissimo manutentionis, sed sufficit ad effectum manutentionis unicus actus & ultimus status possessionis, prout id non tantum procedit in profanis, sed etiam beneficalibus. Corrad. *cit.* nu. 9. ex Gratian. *discep. for. c. 3.* num. 71. & Decio. *Cons.* 134. num. 11. De ceterò rigorosam illam jurispatronatus probationem in potentibus

obtinere quoque seu requiri in possessorio, nisi constaret de præsentatione effectuatata post Trid. prævia causa cognitione in institutione tradit Lott. l. 2. q. 13. num. 139. & 140. citans Ripæ. in *analitic.* l. 3. de *jurepar.* num. 5. & Gonz. gl. 18. num. 26.

5. Respondeo tertio: acquiri ac respectivè conservari possessionem, non solum per actus præsentationis, sed etiam per æquipollentes, puta per consensum præstitum permutationi vel resignationi ad favorem, & similes concernentes provisionem Ecclesiæ seu beneficii, non tamen per actus honorificos, utpote per quos nequidem ipsi patrono admittenti non patronum præjudicatur, tradit Card. de Luca. l. c. num. 88.

6. Respondeo quarto: conservatur quoque possessio unius compatroni per actus possessorios alterius, nisi expressè vel præsumptivè constet, illum non cumulativè, & pro solo ejus jure, sed in solidum ac privativè illos actus gerere noluisse; in quo casu attendenda sunt eadem requisita pro amissione, quæ ante diximus, requiri ad acquisitionem, præsertim bona fides, & scientia, & patientia in altero. Card. Luca. l. c. num. 89. sicuti unus ex pluribus patronis præsentat, & alii sunt negligentes, propter hoc hi non sunt privati; quinimo per præsentationem factam per unum conservatur quasi possessio aliorum, quod multò magis procedit, ubi patronus, qui præsentavit, non dixit, se esse unicum patronum, sed esse unum ex patronis. Corrad. l. 4. c. 6. num. 45. & *seq.* qui tamen num. 47. sic limitat hanc doctrinam, quòd procedat tantum, ubi patroni non præsentantes veniunt ex eodem in re; secus, si ex diverso, maximè, dum unum est exclusivum alicuius. citat pro hoc Rotam. *decis.* 229. num. 1. p. 1. *diversar.* præterea ait, requiri, ut alii patroni non præsentantes sint in quasi possessione præsentandi; aliàs enim præsentatio facta ab uno, dici non potest præservare aliorum quasi possessionem; quia quòd non est, non potest præservari.

7. Respondeo denique: id operari legitimè quæ sitam possessionem, ut prævalere debeat præsentatio facta à possessore contra præsentationem factam ab obtinente proprietatem jurispatronatus, etiam dum res adhuc est integra, sive necdum effectuatata præsentatio per institutionem, quamdiu jus petitoris clarum non est, & in continente probatur; sed turbidum potius & altioris indaginis; si verò proprietas clarè & in continente doceatur à petitore, absorbetur illa possessionem re adhuc integrâ, seu beneficio adhuc vacante; si verò re non amplius integrâ, sed prius post secutam & pacificè effectuatam institutionem probetur dicta proprietas, nequaquam provisum repellendus; adeoque servit quidem dicta probatio pro securis vacationibus; non autem pro jam consumpta per provisionem juxta eam probabilem opinionem, quòd fructus bonâ fide perceptus & consumptus à non domino non restituitur. Card. Luca l. c. num. 83. Corrad. *pr. benef. l. 1. c. 6.* num. 360. & *seq.* qui etiam addit num. 364. in dubio præferri illum, qui est in quasi possessione præsentandi; etiam si esset in ea quasi possessione violenta, debet admitti ab eo præsentatus. quòd si tamè postmodum de dicta violenta possessione doceatur, præsentatus ab eo, etiam post institutionem, deponitur, & cassatur collatio, citat pro hoc Paul. de *Citat. de jurep.* p. 6. a. 3. q. 7. num. 16. Archid. in eum, qui de *Prav.* in 6. similiter ait n. 366. talis violentus

lentus inuasor, dum de eo non constat, sed pacificè reputatur patronus, etiam dum non possidet, admittitur ejus presentatio, & presentatus instituitur, sed dein consisto de ejus non jure seu violentia, cassatur ejus presentatio, & institutus remouetur juxta C. consultationib. h. t.

Questio 92. Quid probare debeat prætendens usupatronatus hereditarium, quid mixtum, quid prætendens gentilitium?

1. Respondeo ad primum: exigitur in hærede, ut probet se esse hæredem universalem, ita ut nequidem sufficiat institutio in majore parte bonorum, etiam in filio. Lott. l. 2. q. 11. num. 28. citans Beroium in rub. de jurep. num. 22. & Didac. var. resol. l. 2. c. 28. num. 7.

2. Respondeo ad secundum: prætendens usupatronatus mixtum, non tenetur probare, se esse hæredem ultimi defuncti; quia nec in emphyteusi aut feudo mixto id requiritur, sed satis est, ut sit hæres ejus, qui feudum primus acquisiuit. Lott. ibid. num. 47. qui etiam num. 48. ait, in docenda hac qualitate non multum insudandum, eo quod satis sit quod dicat, se paratum hæreditatem adire, si aliquo modo ea sibi deferatur, & sic sufficit spontanea oblatio, modò non conser ipsum eam hæreditatem primò acquirere repudiasse; citat pro hoc Decium conf. 288. num. 1.

3. Respondeo ad tertium: prætendens patronatum gentilitiū justificare debet suam descendentiā (intellige seclusā quasi possessione, patronus enim existens in quasi possessione patronatus non tenetur probare aliquam descendentiā, etiam ad effectum presentationis. Lott. l. c. num. 94. citans Cassador. de jurep. decis. 9. Seraph. decis. 1334. num. 8.) per gradus distinctos. Lott. ibid. num. 95. citans Gl. in c. licet ex quadam. de testib. v. gradus. Anchar. resol. 52. num. 6. Decium. conf. 322. num. 6. & plures Rotæ decif. Quamvis enim necessitatem illam probandi descendentiā per gradus distinctos quidam restringere videantur ad eum casum, in quo agitur de probanda consanguinitate vel affinitate ad effectum dirimendi matrimonium. Nihilominus ob paritatem rationis dictæ probationis necessitas locum habet, ubicunque agitur de præjudicio gravi, uti in materia successiois & jure patronatus. Lott. num. 97. citans Alex. Conf. 82. num. 6. Vol. 1. Riminal. & alios juxta decif. Rotæ apud Mantio. decif. 307. num. 3. Unde licet cessaret concursus personarum contententium de hoc jure patronatus (in quo concursu videtur fundata dictæ probationis necessitas) adeò ut sufficere videretur probatio descendentiæ generica absque distinctiōe graduum; quia tamen non cessat præjudicium Ecclesiæ ex eo, quod non sufficiat generica illa, & qualiscunque descendentiā, sed exigatur dependentiā legitima, quæ aliter non potest constitui quam ex positione graduum, non cessat etiam ratio illa probandi per gradus distinctos. Lott. num. 98. & 99. Porro, quod attinet qualitatem & mensuram dictæ probationis per gradus distinctos, dum non versamur in antiquis, id est, supra 100. annos, ita ut sit possibilitas habendi testes de veritate, qui nimirum cognoverint personas, descendentiā hæc per eos probatur concludenter, nec admittitur alia probatio. Lott. num. 100. & 102. dum autem versamur in antiquis, seu supra 100. annos, descendentiā non probatur per solos testes de auditu &

fama, ut volunt plures apud Lott. num. 102. nisi concurrant adminicula. Lott. num. 102. & 104. citans Hof. & Abb. in c. licet. de testib. et si enim fama in antiquis inducat præsumptionē veritatis, ita ut hinc transferatur onus probandi in negantem; id tamen locum non habet, ubi agitur de fundanda intentione actoris contra reum; ubi enim grave infertur præjudicium alicui, non attenditur præsumptiva hæc probatio per famam. Lott. a num. 105. citans Achill. de prob. decis. 1. num. 1. Quapropter ut hæc descendentiā antiqua probetur per testes de auditu, hi ad minimum debent esse duo pro singulis gradibus. Lott. num. 108. citans Innoc. & Bald. in c. Series. de test. Item debent concordare in personis, à quibus audierint; alias in probando hujusmodi gradu reputantur singulares. Lott. num. 109. citans Alex. l. 1. conf. 82. num. 3. Mareshot. Var. resol. c. 70. num. 8. Nat. & c. debent esse personæ graves, & hoc in specie deponere, quod sic audierint à personis gravibus & fide dignis. Lott. num. 110. qui & debent specificare singulos gradus à stipite, & affirmare, se credere ita esse, ac deponere, se vidisse, quod consanguinei pro talibus se habeant, ut Soc. Sen. Vol. 4. Conf. 47. num. 16. apud Lott. l. c. Absq; eo tamen, quod necesse sit, ut istæ qualitates in testibus seorsim articulentur ac probentur. Lott. l. c. similiter ut probetur hæc descendentiā per enunciatiuas antiquas in instrumentis publicis, quæ æquipollent famæ, pro unoquoque gradu debent esse saltem duæ, arque ita debet esse concursus duorum instrumentorum, ita ut unum nullatenus sufficiat. Lott. cit. num. 10. ex Aretina. inf. cum causam. de prob. num. 13. requiritur insuper, ut qualiscunque enunciatiua proponatur, ea sit necessaria ad actum. Lott. num. 111. ex Dec. conf. 360. num. 6. Alex. l. 1. Conf. 136. num. 11. Unde ad probandam hanc descendentiā non sufficeret testamentum, in quo quis esset nominatus tanquam filius, & hæres institutus; utique enim probent verba illa contra enunciatiuam; nullo tamen modo probant in præjudicium tertii. Lott. num. 112. Gratian. l. 1. Conf. 140. num. 42. Rebuff. de Nominat. q. 1. num. 4. & c. quod tamen intelligendum, dum dicta enunciatiua esset nuda & unica; secus enim dicendum, si esset adminiculata, vel etiam concurrerent plura instrumenta. v. g. si cum enunciatiua unica concurreret in eadem persona enunciatiua quasi possessio. Rota apud Seraph. decif. 1232. num. 3. vel si eadem enunciatiua coadjuvaretur ex alio instrumento, in quo incurreret eadem enunciatiua, v. g. si post testamentum, in quo quis fuit nominatus & institutus tanquam filius, apparuit aliud testamentum ipsius istius nominati & instituti, in quo ipse alium filium sibi institueret, et si in secundo hoc testamento testator non enunciasset se filium illius, qui primùm testatus est, modò concurrant duæ demonstrationes nominis nimirum, & cognominis. Lott. num. 113. qui & num. 114. advertendum monet, in deducenda & articulanda hæc descendentiā, si appareat in persona alicujus successoris de quasi possessione juris patronatus, non esse necessarium exordiri probationem à persona fundatoris, sed sufficere illam articulare per graduum distinctiōnem à persona talis possessoris, eo quod licet ipsa possessio non transeat à persona in personam, atque ita de defuncto in hæredem. l. cum hæredes. de acquir. poss. juxta dicta à nobis superius; ex ea tamen resultat probatio pertinentiæ, & consequenter legitime descendentiæ

dentia illius possessoris à primo stipite; ac proinde satis erit, si vendicans patronatum probet se descendere ab illo quasi possessore, modò removeatur omnis æquivocatio circa identitatem talis personæ, quæ est facilis in antiquis; eò quòd dari possint plures personæ ejusdem nominis, de quo vide Lott. n. 102. & seq. plura de probanda descendencia, tam in patronatu gentilitio mixto, quàm simplici, vide superius, ubi explicatum, quid sit juspatronatus gentilitium.

Questio 93. Quæ præcedens juspatronatus ex augmento dotis, adeoque nixus privilegio, propius, ut inquit Lott. l. 2. q. 8. n. 8. n. 32. ad naturam contractus, quàm gratia accedente, justificare teneatur in ordine ad evitandam reservationem & derogationem Apostolicam?

R Esp. primò: debere probare duo: nimirum se fecisse augmentum, & illud tale, seu tantum fuisse, ut inde aucti sint redditus Ecclesiæ, seu beneficii ad medietatem veri valoris; siquidem satis non est probare aliquid, nisi probetur cum sua qualitate. Lott. loc. cit. n. 60. & 61. Hinc

2. Primò satis non est prætendenti ostendere in genere, se dorem auxisse, ita ut, si contra hunc prætendentem allegetur, gratiam patronatus oneri seu impenis ab eo factis in augmentum præponderare, allegans id teneatur probare, etsi enim sic senserit quandoque Rota apud Seraph. id tamen intelligendum cum grano salis, ut Lott. *ibid.* nu. 70. nimirum ubi privilegiatus, seu talis augmentator dotis jvatur quasi possessione præsentandi; hæc enim satis fundat intentionem dicti prætendentis, ita ut, si tunc objiciatur ei gratiam præponderare oneri, seu augmentum ab eo factum non esse ad medietatem dotis, seu non correspondere gratiæ patronatus, id probandum sit objicienti, seu replicanti: Ubi tamen non jvatur eà quasi possessione, teneatur ipse prætendens justificare eam qualitatem, seu factum à se augmentum ad medietatem, quæ uti consuevit semper concipi ad quotam fructuum; ita perperuò incumbit ei onus liquidandi valorem reddituum antiquorum & aliorum ex post à se assignatorum. Lott. num. 71. idque procedit, dum ex inspectione privilegii concessi patronatus non liquet, illud non esse ex causa onerosa, quæ æquivalet concessioni; si enim de hoc liqueret, possessio illa minimè habenda esset in consideratione, & talis prætendens caderet causa, ut patet. Lott. num. 72.

3. Secundò: satis non est, probare, se pro obtinendo patronatu in Ecclesia solvisse principi concedenti; seu veriùs illius officialibus ingentem pecuniam, quæ etiam valorem prædiorum beneficii superaret: Nam hæc solutio (quam *compendiam* vocant) solvitur quidem intuitu hujus gratiæ, seu patronatus obtinendi; at non ad finem benefaciendi Ecclesiæ, ita ut possit tale beneficium commensurari damno Ecclesiæ, quòd ea ex illa reductione in servitutum patitur; non enim apparet, quomodo ista pecunia partita inter officiales tendat in utilitatem Ecclesiæ, aut beneficii, de cujus statu agitur. Lott. n. 63. citans Gonz. gl. 18. n. 27. & Rotam *decis.* 457. n. 17. p. 1. *divers.*

4. Tertiò: satis non est probare, se partim impendisse in augendis redditibus (etsi non ad medie-

tatem) partim in reparationem Ecclesiæ; quia ut quis acquirat juspatronatus ex augmento dotis, exigitur pro forma, ut aucti sint fructus, seu redditus beneficii ad medietatem veri valoris, quæ forma præcisè servanda, ita, ut non admittatur ad implementum per æquipollens, adeoque non sufficit impenfa facta in quamcunque aliam causam ipsius Ecclesiæ. Lott. à num. 65.

5. Quartò: satis non esse probari in augmentum dotis erogatum etiam ultra medietatem; & cum animo inde acquirendi patronatum, sed probandum esse, talem erogationem factam fuisse in executionem talis concessionis & privilegii necessitatem hanc præcisè imponentis: Nam si Papa concessisset patronatum ex mero privilegio, & taliter effectus patronus postmodum nulla ad id necessitate compulsus beneficii fructus ad medietatem, vel etiam ultra, augetet, id augmentum ei non suffragabitur, ut dicatur jam obrinere patronatum ob factum tale augmentum dotis. Nam imprimis hoc augmentum consideratum secundum se, & de jure non est causa sufficiens ad obtinendum juspatronatus: dein consideratum cum privilegio; etiam privilegium hoc non potest ad illud trahi; cum illud antecederet concedens de eo augmento non cogitaret. Unde etiam talis, qui ex post facit tale augmentum sub ista credulitate obrinendi per hoc patronatum, cui Pontifex non derogat, queri non potest, non servatum secum pactum (quæ non servatio esset sola causa retrahens fideles ab augmentandis beneficiorum dotibus) utpote quod, deficiente ob necdum constitutum illud augmentum consensu illius, à quo manavit privilegium, nullum cum eo initum; sed tantum de se ipso queri potest, qui scire debuit, semel de effectu patrono ex causa privilegii, merè gratioso, hæc causa manente integra, non posse ex alia fieri patronum; ita ferè Lott. num. 80. ubi etiam *in fine* addit, idem esse, si talis post adeptum juspatronatus ex privilegio merè gratioso bona Ecclesiæ ab aliis occupata recuperasset suâ pecuniâ; cum credendum non sit, illum hæc fecisse aliâ mente, quàm acquirendi patronatum; utpote quod sibi erat impossibile; cum jam illum ex alia causa fuisset affectus. Quamvis nihilominus novæ isti liberalitati alia correspondeat compensatio, quatenus nimirum tali juspatronatus, quod in substantia augeri non potest, augetur in qualitate; dum quò pinguiores sunt redditus, eò honorabilius efficiatur juspatronatus. Lott. num. 81. citans Cassad. *de jurep. decis.* 3. num. 2. Quin & tali patrono comparatur firmior statio & refugium in casu inopiæ, juxta *c. nobis. h. t.* Porro qualiter computanda & æstimanda hæc augmenti quantitas, vide apud Lott. num. 89. de quo agemus inferius, ubi de reservatione & abrogatione juspatronatus,

PARA:

PARAGRAPHVS VI.

Quid possit, vel non possit patronus.

Quæstio 94. An patronus possit beneficii leges alterare, vel novas inducere?

1. Respondeo primò: Notando ex Card. de Luca in *summa juris patr. num. 128.* leges & conditiones istiusmodi triplex præjudicium respicere; unum Ecclesiæ, cujus onus vel servitutem ampliant; alterum Ordinarii, alteriusve superioris, cujus potestatem restringunt; tertium patronorum, seu aliàs ad utrumque juspatronatûs, activum nempe & passivum vocatorum,

2. Notando item ex eodem *num. 129.* de quo dictum sub initium primæ partis, leges in limine foundationis de consensu Ordinarii adjectas, etiam, ubi juri contrariæ sunt, servandas esse, v. g. dum statuitur, quòd præsentatio fieri possit ultra terminum juris: quòd sufficiat minor ætas, quàm præscripta per Tridentinum, vel etiam in casu derogationis jurispatronatûs, seu cujuscunque provisionis aliàs, quàm ad præsentationem factæ, redditus vel emolumenta aliis usibus applicentur: his notatis,

3. Resp. ad quæstionem primò in genere: non conceditur fundatori post factam perfectè erectionem & foundationem beneficii; multòque minùs successori, adjicere novas leges alterativas, novæque onera. Et quidem de patrono, hæredè & successore Corrad. *pr. benef. l. 2. c. 12. n. 56.* citans Felin. in *c. significavit. de test. Immol. in c. cum dilectus. num. 21.* Garc. *p. 11. c. 5. num. 222.* quia agitur de mutanda voluntate defuncti circa Deo dicata; quod soli Papæ est permissum. De successore & fundatore ipso Card. de Luca. *de jurep. d. 15. num. 2.* citans decif. Rotæ in *Tranensi juris. 10. Martii 1627.* item *d. 18. num. 4.* citans Ciardin. *controv. 69. n. 4.* Rot. *decif. 593. p. 5. Recent.* Ita etiam nec spernere potest leges à fundatore positas successor, ita ut, si dum fundator jurispatronatûs, v. g. hanc qualitatem passivam adjunxit, ut præsententur certæ personæ de certo genere, vel certam qualitatem habentes, præsentet alium, præsentatio omnino sit invalida, speretque patrono institui possit alius habens dictam qualitatem tanquam præsentatus ab ipso fundatore talem legem adjiciente. Card. de Luca *cit. d. 18. num. 3.* citans Lamb. *l. 2. p. 1. q. 8. a. 4. n. 11.* Vivian. *p. 2. lib. 2. cap. 9.* Buratt. *decif. 559. &c.* Hinc jam

4. Respondeo secundò: non posse fundatorem, multòque minùs successorem præter leges adjectas in limine foundationis adjicere alias, concernentes præjudicium illud Ecclesiæ, vel Ordinarii; solum enim conceditur in limine foundationis, accedente Ordinarii, vel alterius legitimi successoris consensu statuere, seu adjicere leges, quamvis juri contrarias; non autem ex intervallo, seu postmodum, quando Episcopus vel prælatus, uti alienare, ita & novas servitutes, vel juris quasi præjudicium pati non potest, nisi fortè id, quod ex intervallo agitur, non fiat per modum novæ legis vel conditionis, sed per viam declarationis ambiguarum foundationis: nam etiam in actibus obligatoriis & irrefractabilibus admittitur declaratio do-

natōris, vel alterius contrahentis, modò primus actus ita sit ambiguus, ut rectè cadat terminus declarationis seu interpretationis, ac etiam declaratio sit verisimilis, vel aliàs admiculata, ne aliàs indirectè sequatur, quod directè est prohibitum. Card. de Luca. in *sum. juris. cit. num. 129.* Hinc v. g. dum juspatronatûs taxativè restrictum esset ad certam familiam seu genus, non potest fundator ejusve successor deinceps statuere, ut deficiente tali familiâ, seu genere, competeret quoque aliis; cum sic prorogaretur patronalis qualitas & servitus Ecclesiæ, quæ aliàs deficiente tali familiâ evaderet libera. C. de Luca. *h. t. d. 18. n. 4.* Hinc constitui non potest, ut præsentari possint alii, præteritis iis, quibus jus irrevocabile quæsitum est, dum ii illud non metiuntur ex sola munificentia & liberalitate fundatoris, ita ut irrevocabilitas resisteret à solo vigore legis reddentis perfectas & irrevocabiles donationes, sed proveniret potiùs à contractu quodam correspectivo concessionis factæ ab Episcopo & Capitulo, v. g. dum is & illud consensisset, Capellam jam exstructam pro fundando in ea beneficio, vel situ pro construenda Ecclesiâ eâ lege, ut patroni alium non præsentent, quàm presbyterum de gremio dicti Capituli vel Ecclesiæ; jam enim dicta lex non tangeret alicujus commodum vel interesse privatum, sed interesse ipsius Ecclesiæ pro majori cultu, ob cujus finem Episcopus & Capitulum fecerunt talem concessionem; adeòque si jam lex illa alteraretur & præsentaretur alius non de gremio Ecclesiæ, cederet id ipsum in præjudicium Ecclesiæ. C. de Luca. *loc. cit. d. 17. num. 4.* Sic beneficiato remitti non possunt onera aliàs in fundatione imposita, statuendo, v. g. ut opus non sit, præsentatum & institutum residere, vel fieri sacerdotem; cum id cadat in præjudicium cultûs divini & Ecclesiæ. Posse tamen dicta onera minui, v. g. numerum missarum reduci, residentiam remitti &c. ab Episcopo cum consensu patroni (vel etiam eo irrationabiliter invito sine ejus consensu) in casu necessitatis, v. g. si redditus non sint sufficientes ad tale onus præstandum, eò quòd cessantibus redditibus, cesset ordinatio testatoris, docet Pirh. *ad h. t. num. 132.* citans Abb. in *c. nos quidem de testum. n. 6.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 24. q. 6.* Garc. *p. 7. c. 1. n. 224.* & Laym. Idem est de reductione anniversariorum, nisi quòd hæc reductio fieri debeat in synodo dioceseo juxta Decretum Trid. *sess. 25. c. 4.* quod tamen Decretum ait Pirh. teste Garcia *l. cit. n. 36.* in pluribus Episcopatibus non esse usum receptum. Probabile quoque esse, tradit Pirh. *h. t. n. 131.* quòd quamvis solus Papa ex plenitudine potestatis suæ facere possit in totum & perpetuam mutationem in beneficio patronato ex causa rationabili, etiam contra primi fundatoris voluntatem; possit tamen etiam Episcopus cum consensu patroni seu hæredis fundatoris, utpote qui ipsum fundatorem repræsentat, ex causa justa, ob quam à conditione beneficii in fundatione requisita recedendum videatur, per epikiam interpretari, & interdum etiam per una alterâve vice dispensare, & sic interpretando aut dispensando, mutationem aliquam quò ad unam alterâve conditionem, v. g. ut præsentari possit non sacerdos, contra quod requiritur in fundatione facere, non obstante Trid. *sess. 25. c. 5.* statuente, ut dum qualitates certæ aut onera in erectione beneficiorum ex fundatione requiruntur, eis in collatione, seu quacunque alia dispositione-

positione dictorum beneficiorum non derogetur (ubi S. Congr. Conc. declaravit, non licere Episcopis, etiam accedente consensu patroni iisdem derogare. vide Gallemart, *num. 3.*) eò quòd exigua aut nulla derogatio censetur fieri, si Episcopus pro una vice in conditione beneficii dispenset ob justam causam, propter quam fundator, si adhuc viveret, facile id etià concessurus esset: citat pro hoc Abb. *in c. cum accessissent. de constitut. n. 5. Navar. l. 3. conf. 6. n. 4. de Cleric. non resident. Laym. Theol. mor. l. 4. rr. 2. c. 13. n. 17.* Verùm contrarium etiam in hoc probabilius sentire videtur cum aliis Garcias. *p. 7. c. 1. num. 107.*

5. Respondeo tertio: neque etiam, præscindendo ab istiusmodi Ecclesiæ præiudicio, à fundatore ex intervallo, multòque minùs à successore illius, alterari possunt leges foundationis in præiudicium vocatorum tam ad juspatronatùs activum, quàm passivum Card. de Luca. *de jure patron. d. 16. n. 2. & 3.* citans Decium *l. 4. decis. 280.* Tondut. *gg. beneficiarium. p. 1. c. 91. num. 1. decis. Rotæ. 37. num. 1. p. 3. recent.* Hinc adjici non potest qualitas illa passiva restringens libertatem patronorum, ut hi teneantur præsentare ex certo genere, vel habentem certam qualitatem, dum id in limine foundationis requisitum non fuit. Card. de Luc. *loc. cit. d. 18. n. 4. ex Vivian. p. 1. l. 2. c. 8. n. 6.*

6. Veruntamen hanc responsionem sic limitat idem Card. *loc. cit. num. 4.* ut ea procedat, dum agitur de juspatronatus gentilitio, aut aliàs ita constituto, ut successor, qui talem alterationem impugnet, veniat jure suo directè ac independentè ab eo, qui talem legem alterativam adjecit; secùs enim est, dum agitur de jurep. hæreditario, ubi successores suum jus metiuntur ab eo, qui talem legem alterativam adjecit; tum namque talis successor fundatoris quòd ad hæredes & successores suos ab eo causam habentes censendus est jure primi fundatoris; quia si poterat in præiudicium suorum hæredum de ipso juspatronatùs in genere dispo- nere illud Ecclesiæ remittendo, vel aliis donando, multò magis potuit illud hæredibus relinquere in aliqua parte à suo primævo statu alteratum, juxta regulam communem; quòd impugnari non potest judicium illius, qui dedit minus, dum in ejus libertate erat nihil dare. Citat pro hac sua limitatione & distinctione præter Lamb. Gratian, plures Rotæ decis. atque ita v. g. subsistere legem illam, quæ fundator ipse ex intervallo, seu postmodum, vel successor fundatoris securus hæredibus, seu patronis necessitatem imponit præferendi (dum de eo nihil expressè dixerat fundator) illos de familia vel sanguine, habentes tamen reliquas qualitates à fundatore requisitas in concursu extraneorum iisdem aliis qualitatibus instructorum; præfertim, cum hæc lex non videatur exorbitans; quin nec alterativa; sed potiùs declarativa ejus, quod est de jure, seu de jure prætendi posset, unde etiam compatibilis est cum prima lege in fundatione expressa; quatenus nimirum non recedendo à dicta lege, quæ v. g. jubebantur præsentari de gremio Ecclesiæ alicujus, fundator postmodum aut ejus successor statuendo, ut si ex gremio essent, qui essent de sanguine, hi aliis præferantur, explicare voluit id, quod de jure prætendi posset, juriq; & æquitati consonum reputatur; scilicet ut ceteris paribus præferantur, qui sunt de sanguine. Insuper, cum supposità habili-

tate nihil Ecclesiæ interfit, beneficium uni vel alteri personæ conferri; quinimò hujusmodi restrictiones Ecclesiæ favorem concernant, ubi videlicet juspatronatus de hæreditario fit gentilitium; cum ita facilè Ecclesiæ sperare possit libertatem, sequendo eam opinionem, quòd cessante eo genere, juspatronatùs exspiret; cum, licet ea sit minùs recepta, dari tamen possit ejus casus ex clausulis & verbis restrictivis; ita Card. de Luc. *cit. d. 18. n. 4. & 5. & d. 17. n. 5.*

7. Et de hoc patrono, cui juspatronatus competit ex hæreditate (non verò de eo, qui patronatum gentilitium obtinet) videntur ea procedere, quæ tradit Laym. *Theolog. moral. lib. 4. c. 13. à num. 14.* nimirum, quòd patronus ejusve hæres successor in patronatu, uti renunciare potest juspatronatus in favorem Ecclesiæ, ita etiam minuere, vel tollere eas condiciones, quæ in solum favorem patroni contra vel præter jus commune appositæ sunt à fundatore; non verò eas, quas fundator apposuit ob cultum divinum, vel ob sui memoriam, honorem & commodum familiæ suæ, v. g. non possit, etiam Episcopo consentiente, minuere numerum missarum; sic etiam non possit patronus talis, aut etiam Episcopus (nisi fortè gravissimam causam postulante) auferre fundatoris insignia posita in Ecclesiâ, quam fundavit; Multòque minùs, ut Pirh. *h. t. num. 132.* patronus successor, si alterius familiæ sit, sua insignia eo loco ponere potest; ne memoria primi fundatoris aboleatur; neque his obstare decis. Rot. *in una Tranesi* decidentis absolutè, leges à fundatore adjectas alterari non posse, ait de Luca *d. 15. h. t. n. 9.* eò quòd agat de adjectione conditionum dispositioni juris contrariarum, v. g. quod præferantur quoque possit non habens legitimam ætatem; cum, dum hoc ipsum fundator non constituit, etiam adversetur menti illius, utpote quam præsumendum est fuisse juris dispositioni conformem, dum aliud non expressit. In aliis verò similibus Rotæ decisionibus agi de quibusdam legibus respicientibus Ecclesiæ servitium. Neque obtare *l. cum à matre. c. de rei vindicatione. & c. vendicantem. ff. de evictione;* nimirum quòd hæres teneatur præcisè servare factum Auctoris, seu dispositum ab eo, etiam in juribus propriis, quatenus vires hæreditatis suppetunt, & quoties non concurrat talis nullitas actus, vel talis vehemens resistèntia juris, ut ipsimet etiam Auctori contra tale à se statutum venire licitum esset: siquidem ex eo, quòd hæc regula procedat in materia existente in privato commercio, & in merè profanis, non rectè arguitur, ut vult Maranta junior. *p. 3. resp. c. 3. n. 15.* procedere quoque illam in re beneficiaria Ecclesiastica, utpote in qua jura resistant, & non patiantur quicquam constitui à fundatoribus, vel patronis sine consensu Ordinarii, quæ juris resistèntia non cadit in istis profanis & privatis commerciis; ac proinde non sequitur; hæres non potest ex se Auctoris statutum impugnare, seu immutare: ergo nec patronus successor, etiam cum dicto consensu legitimi superioris, non potest facere dictam mutationem. Card. de Luc. *d. 15. n. 6.*

8. De cetero non posse beneficiù perpetuù, etiam de consensu Ordinarii per patronù reddi Manuale; eò quòd immutatio ista sapiat speciem quandam alienationis, & beneficium constitutù in statu perpetuitatis (quæ beneficiis secularibus est connatur-

talitatis)

ralis) videatur acquisivisse jus habendi sponsum perpetuum in amovibilem, cum communiter docet idem Card. loc. cit. n. 11. contra Navar. conf. 9. vel juxta impressionem Venetam conf. 11. l. 1. de offic. ordinar. & Gonz. ad Reg. 8. gl. 5. n. 62. quamvis idem Card. de Luca n. 7. admittat, dum fundator constituit beneficium manuale seu amovibile, posse patronum successorem id ita limitare, ut quoties contingat, illud possideri per aliquem de familia, is removeri nequeat; ed quod istiusmodi remotiones dedecus seu aliquod præjudicium quandoque causare soleant: siquidem hæc limitatio non tam alterativa est naturæ beneficii remanentis in terminis manualitatis, quam suppletiva & declarativa verisimiliter voluntatis fundatoris; quæ ille præsumitur voluisse evitare dictum dedecus suorum descendendum vel agnatorum, quod rectè fieri potest per hæredem primum vel executores voluntatis defuncti aliumve fiduciarium, utpote illius voluntatis verisimiliter conscium juxta decis. Rotæ. 216. p. 10. recent. Denique vide, quæ Laym. loc. cit. n. 17. habet, qualiter nimirum incidente aliquo casu ex episcopalia Episcopus cum consensu patroni mutare vel tollere possit, saltem pro unica vice conditiones à fundatore appolitas contra Garc. p. 7. v. 1. n. 107. & plures alios.

Questio 95. Quid juris & potestatis habeat patronus circa res temporales ecclesie usurpandas vel curandas.

1. Respondeo primò: Patronus, etiam Ecclesiasticus, non potest redditus Ecclesie vel beneficii sub prætextu juris patronatus propriis usibus applicare, excepto, si moderatam aliquam præstationem cum Episcopi consensu sibi reservasset juxta c. praterca. h. t. Laym. in c. sicut. de suppl. negl. præl. num. 1.

2. Sed neque id ipsum potest patronus, advocatus, aliùve jus custodiæ administrationisve habens fructuum beneficii tempore quo illud vacat, nisi illi sint valde modici, & antiqua consuetudo id obtinet, aut tales modici fructus in fundatione sint patrono reservati. Laym. in c. generali. de elect. in 6. n. 4. citans Jo. Monachum ibidem. n. 9. qui etiam addit non valere, nec posse prævalere consuetudinem, quamvis immemorialem, utpote ecclesie valde damnosam, ut fructus omnes, etiam copiosi, vacantis ecclesie à patrono vel administratore, præsertim laico, absumentur, juxta c. l. b. r. in 6. unde, dum allegatur consuetudo Gallie, secundum quam vacante ecclesia Episcopali vel Archiepiscopali rex vacantis ecclesie proventus liberè administrat & collocat. Jo. And. in c. c. generali. n. 4. & Chockier in reg. 1. cancell. n. 13. dicendum inquit, hanc consuetudinem non mero facto, sed titulo pontificii privilegii inniti. Porro statuta est pœna excommunicationis iis, qui sub titulo regaliorum (quo nomine veniunt collectæ, seu steuræ, quas Imperator titulo supremi domini imponit, quatenus omnes terras Imperii ratione feudi antiquissimi sibi subjectas habet, propter quod generalis quodammodo patronus censeri debet Ecclesiarum, quæ in Imperio sunt, ut Castaldus q. 100. videlicet ratione fundi, qui ex antiquissima origine ad regem spectabat secundum proprietatem, cum Ecclesie fundarentur; etsi interim jus præsentandi pertineat ad eum qui ecclesiam fundavit vel dotavit) vel custodiæ seu guardia (quo nomine venit jus custodiendi ecclesiam aut monasterium, ejusq; bona conservanda, maxime cum sedes

vacat) vel advocacionis seu defensionis (quo nomine venit jus competens patrono defendendi ecclesiarum jura, curandique, ne earum bona dilapidentur) bona Ecclesiarum aliorumque piorum locorum de novo usurpare præsumant. Laym. in cit. cap. generali. Quam tamen excommunicationem ut incurrant, duo requiruntur; nimirum ut regalia, jus custodiæ, vel advocacionis sibi de novo sumant, & ut ob eum titulum bona ista usurpent. Laym. ibid. n. 1. quam tamen pœnam non incurrunt, qui ex fundatione vel antiqua, & præscripta consuetudine sub dicto titulo vacantis ecclesie bona administrant, & fructus tunc provenientes accipiunt. Laym. ibid. citans Navar. in man. 6. 27. n. 123. & Suar. de cens. d. 23. f. 4. n. 6.

3. Respondeo secundò: tamen si patronus juxta c. filii. 16. q. 7. possit hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut, si sacerdotem vel ministrum aliquod ex rebus collatis ecclesie (intellige à se vel majoribus suis; cum respectu collocatorum ab aliis cesset omne ejus interesse. Lott. l. c. n. 70. citans Imol. in c. mancipia. de rerum perm. n. 4. & Suar. de immunit. ecclesie l. 4. c. 14. n. 21. Quamvis id ipsum restringant ulterius alii, ut Joan. Andr. apud Lott. num. 27. ad casum singularem, si patroni sint magni principes ob maximum potestatum comparati regibus) viderint defraudare, aut honestâ conventionem compescere, aut Episcopo vel judici corrigenda denunciare; hoc ipsum tamen non est nisi simplex jus providentiæ sine cujusvis alterius juris permixtione. Lott. l. 1. q. 11. n. 64. citans Bellam. in c. laicis. eadem causâ & q. Unde

4. Respondeo tertio: tamen si patronus semper possit se opponere, ne res Ecclesie dissipentur, aut sine causâ distrahantur, debeatque in hoc esse præcipua ejus sollicitudo. Lott. loc. cit. num. 66. citans Innoc. in rub. h. t. n. 1. Anchar. consil. 122. n. 5. & Rot. in una Callag. erectionis capelle 15. Nov. 1624. ita ut securâ distractione valeat semper patronus urgere illius retractionem; si minus justa sit Lott. ibid. citans Roch. de jure patr. in officio num. 10. jus tamen nullum habet circa dispositionem ecclesie vel dotis, juxta c. noverint. 10. q. 1. Etiam si contingat alienatio; cum inde non lædatur ejus jus patronatus; ut proinde consensus patroni in istiusmodi alienatione rectè quidem adhibeatur ex urbanitate & honestate quadam; non autem ex necessitate. Lott. loc. cit. n. 64 & 65. citans Innoc. in c. 1. ut Ecclesie benefice, sine diminutione confer. n. 4. & Joan. And. ibidem n. 13.

5. Respondeo quarto: tamen si patronus Ecclesiasticus, secus est de laico (ut Auct. paulò post citâdi) possit videre, & se informare, quomodo expendantur proventus Ecclesie & administrantur. Lott. n. 67. citans Roch. ubi antè & Reb. uff. in tr. de congrua num. 14. & rationem administrationis temporarium exigere à Rectore, præsertim si is ei suspectus est, & patronus v. g. sit Abbas, monasterium, aut capitulum collegiatum. Laym. loc. cit. n. 2. non potest tamen minutatim exigere rationes. Lott. ibid. & citati ab eo AA.

6. Respondeo quinto: de ceterò prohibetur, ne patroni, si ve clerici, si ve laici, cujuscumque sint ordinis & dignitatis, beneficiorum, fructuum aut aliarum obventionum perceptioni ex ulla causâ vel occasione, non obstantè quâcumque consuetudine, se ingerant, & quòd si secus fecerint, excommunicationis & interdictionis pœnis subjiciantur (quæ videtur esse excommunicatio lata sententiæ ut Pirh. h. t. n. 23.) & dicto jure patronatus ipso jure privati existant.

stant. Trid. *sess. 25. c. 9.* unde administratio gazophylacii, non ad patronum, qui Ecclesiam vel capellam fundavit, sed ad Rectorem & ministros Ecclesiae, vel ab ipso rectore deputatos pertinet. Pirh. *ibid.* citans Laym. *Th. Mor. l. 4. Tr. 2. c. 13. n. 11.* praecipit item Trid. *sess. 24. c. 3.* ut patroni visitationi ornamentorum Ecclesiae aut bonorum stabiliu seu fabricarum proventibus se non immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundacione competit: ait tamen Laym. *ad cit. c. sicut. n. 3.* quod, cum titulus administrationis in temporalibus tempore vacantis praeturae vel beneficii absolute cadere possit in patronum, etiam laicum, ecclesiae, difficile is ei auferri possit, si fundetur in consuetudine immemorialis; ita tamen, ut ea administratio sive perceptio fructuum non cadat in gravamen Ecclesiae, quam ob rem tales patroni alique vendicantes sibi tale jus administrationis curare debent, ne bona vacantis Ecclesiae alienentur; atque in hujus rei testimonium conficere inventarium rerum praesentium; item abstinere a perceptione fructuum, qui maturi necdum sunt, seu quorum percipiendorum tempus nondum advenit, quales v. g. sunt sylva caedua, qua tempore vacationis non sunt in eo statu, ut caedi debeant. Ac denique fructus ac redditus, qui eo tempore proveniunt, successori in beneficio retinere. Ita fere Laym.

Quaestio 96. Quid possit patronus circa ponendum custodem instituendum vel destituendum Rectorem, & disponendum de beneficio, ac demum circa praecipendum Rectori?

Respondeo ad primum: non posse patronum laicum (nisi forte id habeat ex speciali privilegio Papae vel consuetudine legitime praescripta) ponere custodem vel oconomum Ecclesiae. Laym. *ad c. cum nos. de off. jud. ordin. n. 4.* citans Jo. And. *ad id. c. n. 5.* posse tamen id patronum Ecclesiasticum; eod quod is Ecclesiam beneficiam vacantem reddituum custodiam & administrationem habeat: ex eo enim jam etiam oconomum seu reddituum administratorem ibi constituere possit, tenet Laym. citans Abb. *in cit. c. cum nos. n. 8.* & Jo. And. *ubi ante:* quamvis contrarium etiam de patrono Ecclesiastico sentiat. Lott. *cit. q. 11. n. 68.*

2. Respondeo ad secundum: rectorem beneficii, maxime curati, nullatenus instituere potest patronus, etiam Ecclesiasticus; sed solum praesentare ab Ordinario instituendum; multoq; minus illum destituere. Laym. *ad c. sicut. de elect. n. 2.* Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 12. n. 207.* juxta *c. sicut. de suppl. neg. prae. & c. praeterea. h. t.* Unde, si velit praesentare, ut destituatur is, qui beneficium obtinet, adversatur illi manifestus defectus potestatis: absurdum enim est, cum mutatione voluntatis ipsius patroni mutare etiam rectorem beneficii. Lott. *l. 2. q. 6. n. 3. & 4.*

3. Respondeo ad tertium: non potest patronus, etiam Ecclesiasticus, concedere aut liberè conferre Ecclesias aut beneficia, in quibus jus patronatus habet. *c. transmissa. h. t.* Sed neque concessio seu collatio facta a patrono, etiam Ecclesiastico, vim praesentationis habet, ut expressè colligitur ex *cit. c. transmissa* Pirh. *h. t. n. 28.* Unde Episcopus vel alius, ad quem spectat institutio, non debet admittere literas praesentationis, in quibus patronus sive Ecclesiasticus, sive laicus se vocat collatorem beneficii, vel concessionem vel collationem sibi competere, qualis mos obtinet in quibusdam diocesis germani-

nae, qui aboleri deberet; cum ex abusu vocabulorum facile sequatur etiam abusus potestatis, maxime in laicis. Pirh. *ibid.* citans Abb. *in c. cum autem. h. t. n. 5.*

4. Respondeo ad quartum: patronus, etiam Ecclesiasticus, v. g. Abbas, monasterium, vel capitulum collegiatum nihil circa curam plebis & Sacramentorum administrationem rectori instituto praecipere potest, sed Episcopo denunciare debet, si officium male administraret. Laym. *loc. cit.*

Quaestio 97. Quid possit patronus circa electionem Praelati in ecclesia collegiata vel conventuali.

Respondeo primò: non permittitur, ut patronus laicus una cum Clericis tractati electionis se immisceat, argumento *c. 1. & c. sicut. & c. sacrosancta. de Elect. Laym. in c. cum terra. de elect. n. 5.* consuetudine tamen & fundacione constitui potest, ut patronus laicus ad electionem praelati vocandus sit, non ut electionis tractati se interponat, sed ut sua praesentia & auctoritate clericorum liberam & canonicam electionem defendat. Laym. *ibid. n. 6.* atque ita sustineri potest per consuetudinem & privilegium, vel per fundacionis literas, ut mors praelati nuntiari debeat patrono laico, ut consensus ejus vel potius parrocinium ac defensio petatur ad novam electionem juxta canones celebrandam. Laym. *ibidem n. 7.* remittens ad Gregor. Tholos. *de elect. c. 19. n. 15.*

2. Respondeo secundò: potest etiam fundator sibi & successoribus patronis, interveniente auctoritate & consensu Episcopi, reservare jus factae jam electioni consentiendi, vel etiam interveniendi in electione sine suffragio per modum consulationis. Lott. *l. 2. q. 6. n. 64.* citans Innoc. *in rub. de jure patr. n. 3.* De cetero fundator, multoq; magis patronus successor, sive praesentat jus praesentandi, sive simplicem concursum in jure eligendi, praesentatio habet a pertam juris resistantiam; nam praesentationi repugnat ipsa natura beneficii electivi, interveni autem in electione lex ipsa majori vi resistit; cum jus eligendi non possit cadere in laicum, juxta *c. sacrosancta. de Elect.* redundatque illud in dispendium libertatis Ecclesiasticae, sive agatur de praetura seculari, sive regulari. Lott. *loc. cit. a n. 52.* Unde tamen non sequitur, non posse fundatorem laicum acquirere patronatum in Ecclesia conventuali citra privilegium Apostolicum; etsi enim hunc unum fructum jus patronatus consistentem in praesentatione vel electione praelati non consequatur citra dictum privilegium, consequitur tamen sine illo jus ipsum patronatus in substantia, & prout est quid individuum, etsi respectu juris praesentandi, quod alias est unum ex consecutivis ad illud modificatum; quin & consequitur jus patronatus quod ad alias quoscunque illius effectus, puta, honorem, praesentiam, alimentorum receptionem; jus etiam praesentandi ad praebendas, aliaque beneficia inferiora ab ipsa praetura. Lott. *loc. cit. n. 50. & 65.*

Quaestio 98. An, & qualiter patronus praesentare possit, dum beneficium adhuc est plenum, vel ad vacaturum?

Respondeo ad primum: dum beneficium adhuc est plenum, seu non vacat, patronus habet quidem potestatem praesentandi in habitu, sed non in actu, sive habet potestatem hanc ligatam. Corrad.

rad. l. 4. c. 6. n. 33. Lott. cit. q. 6. n. 2. citans Lamb. l. 2. p. 1. q. 6. a. 1. n. 2. Barb. juxta c. ult. de concess. preb. non enim potest presentare, ut destituatur rector obtinens beneficium, ut dictum supra. Si autem velit prevenire vacationem, ita ut presentatio sortiatur effectum post cessum vel decessum, hoc ipsum repugnat textui c. 2. & c. ex terrore. de concess. preb. aliisque juribus votum captandæ mortis ubique desistantibus. Et licet respectu presentantis videatur cessare consideratio hæc; nihilominus respectu presentati impossibile est separare hujusmodi votum & ambitum, ut ait Lott. n. 7. citans Roland. vol. 1. cons. 47. n. 53. & Rotam.

2. Secus tamen est, si patronus existimavit beneficium vacare; nam ubicunque succedit vacatio, si ipse patronus presentationem promoveat, petendo institui presentatum, actus hic habet vim novæ presentationis; quin & si non ipse, sed qui prius, nempe adhuc pleno beneficio fuit presentatus pro eadem institutione, insistat, censetur etiam id facere in vim mandati ejusdem patroni. Lott. cit. q. 6. n. 19. & 20. citans aliquot Rotæ decis. atque ita ipsam quoque presentationem, quæ à principio nulla erat, convalescere à die veræ vacationis, ait Corrad. l. 4. c. 6. n. 30. ex Mareschot. var. resol. l. 2. c. 33. n. 6. nisi tamen probetur patroni mutata voluntas, quæ ex actu etiam nullo declaratur, & ideo, si de mutatione non appareat, illa videtur durare; nec voluntatis mutatio præsumitur: ac præterea præsumendum est, patroni voluntatem mutatam non fuisse. Corrad. ibid. citans Paris. de resignat. l. 9. q. 25. n. 16. & sic illa patroni voluntas, qui illam non mutavit, declaratur factis potius quam verbis, cum post dictam vacationem noluit alium presentare, quàm jam presentatum. Corrad. ibidem. Unde neque in hoc casu suffragari ei potest consensus seu auctoritas ordinarii. Idem loc. cit. n. 5. & 6. citans Greg. decis. 420. n. 4. Quod si autem patronus non presentet, sed promittat alicui, se eum presentaturum in casu futuræ vacationis; quia nihilominus ex hoc actu æquè inducitur votum captandæ mortis, non excusandum illum à peccato mortali, ait Lott. n. 9. & c. Spino. detestam. gl. 4. n. 102.

Questio 99. Quid possit patronus quò ad constituendum procuratorem in ordine ad presentandum?

1. Respondet primò Corrad. l. 4. c. 2. n. 23. ex La. po alleg. 88. & Roch. v. honorificum q. 5. n. 23. & n. 4. quòd patronus possit, etiam si non fuerit impeditus, presentare per procuratorem, & cessante fraude valida sit talis presentatio facta in vigore mandati; cum id non reperitur à jure prohibitum; requiri autem speciale mandatum, cum presentatio sit quædam donatio; ad quam requiritur speciale mandatum, juxta c. fin. de off. vic. in 6. quòdque procurator infra tempus datum ad presentandum debeat exhibere dictum mandatum, vel patronus factam à procuratore presentationem ratificare, aliàs presentationem remanere invalidam, ut Vivian. l. 6. c. 5. n. 5. posse nihilominus in termino dicti temporis fieri productionem verbalem, cum clausula animo exhibendi, & postmodum extra terminum fieri productionem realem, de cetero.

2. Respondet secundò: non tantum possunt, sed & consulti absentibus, vel peregre profecturis patronis, ut procuratorem constituant, qui occurrente vacatione possit presentare. Lott. l. 2. q. 14. n.

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

42 estque hoc intelligendum de patrono longè absente à beneficio aut peregrè recessuro, ut verisimiliter dubitari possit, quòd beneficium sit vacaturum in ejus absentia, Lott. l. 2. q. 6. n. 10. dicens in eo omnes convenire, posse ab eo institui procuratorem, non solum, si plura sint beneficia, in quibus habeat jus patronatus, sed etiam, si unum tantum: citat pro hoc Jo. And. & Imol. in c. ult. de concess. preb. & Lamb. l. 1. p. 2. q. 4. n. 3. Et si ut Jo. And. adhuc magis excludatur fraus omnis, dum eundem procuratorem constituit ad omnia sua negotia: Id tamen necessarium non est, dum est justa causa absentia, & plura sunt beneficia ejusdem juris patronatus, sed solum, ubi unicum tantum esset beneficium. Lott. cit. q. 6. n. 11. juxta Abb. in cit. c. ult. n. 6. Corrad. l. 4. c. 6. n. 34.

3. Respondeo tertio: etiam dum patronus habet justam causam absentia, constituere non potest procuratorem, ad presentandum (intellige in casu futuræ vacationis) certam personam, dum beneficium adhuc plenum est; eò quòd tunc recurreret eadem ratio inductiva voti captandæ mortis, cujus præsumptio constituitur in ista spe. Lott. n. 12. citans Verall. decis. 282. n. 2. p. 1. Rotam in una Pampilon. parochiali. 27. Maji. 1595. de qua vide Garc. p. 10. c. 1. n. 22. & Mareschot. var. resol. l. 2. c. 33. n. 1.

4. Respondeo quarto: dum nulla iubeat necessitas, aut justa causa absentia, patronusque non habet, nisi in uno beneficio jus patronatus, constitutio procuratoris est invalida; etiam si constituat ad presentandum ad omnia; dispositio namque et si generalis resolvitur in specialem, ubi non potest verificari, nisi in una specie Lott. n. 13. & 14. citans præter plures alios Paris. cons. 53. n. 12. volum. 3. Secus tamen est, dum habet plura beneficia sibi obnoxia; eò quòd data pluralitate beneficiorum, & non designata persona, quæ presentari debeat, excludetur penitus votum captandæ mortis, Lott. n. 16. citans Lamb. l. 2. p. 1. q. 4. n. 9. Idem tenere necesse est Joan. Andream, dum is in cit. c. fin. n. 3. dicat, id maxime procedere, dum patronus habet justam causam absentia, & adhuc magis, si eundem constituat procuratorem omnium negotiorum; siquidem natura hujus dictionis maxime, solum est, exprimere causam minus dubitabilem in ordine ad magis dubitabilem, ut Lott. n. 17. juxta Abb. Imol. & c.

5. Respondeo quinto: quòd si procurator constitutus ad presentandum pleno adhuc beneficio, is abstinens ab executione hujus sibi dati mandati, non valebit postmodum subsecutâ vacatione in vim illius mandati presentare; eò quòd illico mandato, hujusmodi concessio, fuerit ejus effectus consummatus in inductione captandæ mortis. Lott. n. 10. posse tamen fundatorem adjicere conditionem de consensu Ordinarii in limine foundationis, quòd patronus possit presentare, vel constituere procuratorem ad presentandum, antequam beneficium vacet, cessante etiam absentia ipsius patroni, tradit Corrad. l. 4. c. 6. n. 35. juxta decis. Rotæ.

6. Respondeo sexto: in casu primo, dum nimirum patronus legitime absens validè constituit procuratorem, ea hujus mandati vis est, ut etiam si postea ignoretur, ubi sit patronus, ita ut illius vita revocetur in dubium, semper prævaleat præsumptio vitæ usque ad 100. annos. Lott. l. 2. q. 14. n. 43. cum satis sit ostendi, eum vixisse tempore concessi mandati, ut vita præsumatur, Lott. n. 44. juxta binas Rotæ decis. Unde etiam, dum cum hæreditate defertur patronatus alicui absentia, qui nesciatur,

E

ubi

ubi sit, vel etiam cuius vita ignoretur, consulitur his, quorum interest, ut curent auctoritate magistratus deputari administratorem omnium bonorum, & jurium hereditariorum, & hic administrator datâ vacatione præsentat. *Lott. n. 45. & seq. ex Gamb. de off. leg. l. 4. rubric. de potest. legati in commendam benef. n. 35.* qui & per præsentationem factam ab huiusmodi procuratore censetur consumptum jus præsentandi pro ista vice, ut deinceps non attendatur præsentatio facta per ipsum principalem supervenientem, eò quòd cum præsentatio sit fructus juris patronatus, non potest administrator amittere perceptionem hujus fructus interim obventi hereditati, quam administrat. *Lott. n. 48.*

7. Denique hanc inter procuratorem patroni Ecclesiastici, & procuratorem patroni laici facit differentiam *Lott. l. 2. q. 19. n. 23. & 6.* citans *Azor. p. 2. l. 6. c. 14. q. 6.* (qui tamen ibi nihil de hoc) & *Roram in Calagur. benefic. 14. Maii. 1619.* quòd isti affirmanti medio juramento de legitimo impedimento sui principalis non creditur, nisi ad hoc habeat speciale mandatum.

PARAGRAPHVS VII.

De commodis & prærogativis patronatus.

Quæstio 100. An. & qua temporalia ratione juris patronatus sibi competentis exigere possit patronus ab Ecclesiis, vel etiam presentatus jure fortè speciali?

1. **R**espondeo ad primum: primò prohibitum est sub pœna excommunicationis ferenda, ne patroni vel advocati Ecclesiarum in recognitionem juris patronatus vel advocatiæ aliquid ab iis exigant, neque tributa, vel collectas militum, vel ullum servitium v. g. alendi canes venaticos, vel alia jumenta, iis imponant; neque ullis aliis oneribus, vel exactionibus gravent; quia talia à subditis exigunt, si que huiusmodi onera imponi solent, Ecclesiæ autem ejusque ministri non subjiciuntur sæculari potestati. *Pirh. ad h. t. n. 42.* juxta *c. praterea. h. t. & Abb. ibid. n. 4.* item juxta *c. 1. de censibus.*

2. Secundo: potest tamen patronus, uti in fundatione, sibi reservare cum auctoritate & consensu Episcopi pensionem aliquam annexam (quæ tamen moderata esse debet, spectatâ fundationis & reddituum ecclesiæ quantitate, ita ut dos ecclesiæ necessaria non diminuatur per hoc, & si ex post facto talis reservata & imposta pensio fieret multum onerosa ecclesiæ, reducenda erit ad debitam moderationem) ita & eam dein exigere. *Pirh. loc. cit.* citans *Abb. in c. praterea. h. t.*

3. Respondeo ad secundum: patronus à præsentando nihil temporale exigere potest, nisi quod in ipsa fundatione constat impositum. *c. sicut. de supple. neg. prel. & c. praterea. h. t. Barb. juris Ecclesiast. l. 3. c. 12. n. 201.* Et est simoniaca præsentatio, dum aliquid datur vel promittitur pro præsentatione. *Barb. ibid. num. 202.* citans *c. veniens. de testib. & ibi Decium, & Abbat. Roch. de jurep. v. & utile q. 3. n. 19.* *Lamb. l. 2. p. 1. q. 9. a. 8.* etiam si id fiat præsentato ignorante. *Barb. ibid. n. 203.* juxta *c. nobis. de simonia. & c. permult. de elect.* non tamen erit simoniaca, si fiat sub conditione seu onere celebrandi missas; nisi fortè onus mis-

sarum impositum præsentato spectaret ad ipsum præsentantem, cum per tale pactum is relevaretur ab illo onere. *Barb. n. 203.* juxta *decis. Rotæ. in Romana juris p. 20. Decemb. 1600.* multòque minus erit simoniaca facta sub conditionibus, quæ de jure insunt, seu spectant ad institutum in beneficio, v. g. ut defendat jura beneficii, recuperet bona, congerat in unum scripturas attinentes ad beneficium. *Barb. n. 204.* juxta eandem *decis. & Lamb. l. 3. q. 2. n. 2.* ac denique simonia non erit, patrono gratis, & absque pacto aliquid dare; uti quandoque ob dati exiguitatem præsumi potest fuisse donum liberale & gratuitum. *Laym. in c. praterea. de transact. n. 2.* verum vide de hoc dicenda accuratius in parte 3.

Quæstio 101. An. & qualiter patronus circa dicta commoda temporalia, quæ jure percipere potest; quia v. g. tempore fundationis cum consensu Episcopi sunt reservata, vel ex antiqua consuetudine legitime præscripta obtenta, possit disponere?

1. **R**espondeo primò, Si tales redditus aut commoda sunt certa & determinata, v. g. certa pars fructuum, vel certa pensio annua, tunc possunt vendi aut locari alteri, qui illa percipiat nomine & auctoritate patroni; ita ut titulus seu jus patronatus maneat penes ipsum venditorem vel locatorem; quemadmodum commoditas usus fructus vendi potest alteri jure usus fructus remanente penes usufructuarium. *l. necessario. ff. de peris. & comm. rei vend. Pirh. n. 41.* argumento *c. ultim. ne pralatus vices suas.*

2. Secundo, Si redditus illi aut commoditates sunt incerti, vendi quoque possunt, sicut vendi possunt fructus incerti, ut jactus retis, fructus nascituri. *l. si jactum. ff. de act. Empt. Pirh. ibidem.* citans *Jo. And. & Abb. in c. praterea. h. t. & Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 22.*

3. Tertio: Si tamen dicta commoda sunt opera, seu præstationes, non absolute reales, sed personales debita personæ patroni, v. g. ut alimenta ei præstentur, vel ut ipso adveniente vel transeunte, Ecclesia vel ejus subditi vecturas aut angarias præstent, hæc vendi non poterunt alteri; quia inherent personæ patroni, cui talia obsequia debentur; præterquam quòd id cedat in magnum præjudicium Ecclesiæ, si tales exactiones venderentur aliis; qui majoris lucri vel commodi causâ plus vexare solent Ecclesias & earum subditos. *Pirh. ibid.*

Quæstio 102. Quæ sint commoda patroni ordinaria?

Respondeo: debita ei honorificentia & præstatio alimentorum; dum eget, *c. nobis. hoc. tit.* circa quòd secundum observandum; dum plures sunt patroni, omnibus subveniendum esse secundum qualitatem personarum; præcipuè tamen ei, qui plus dedit Ecclesiæ; fundando vel dotando. *Pirh. n. 37.* citans *Zoëlium ad hunc titulum. n. 28.* Observandum etiam ex *Surdo de alimentis. tit. 7. q. 32. n. 6.* patrono ingrato non competere hoc emolumentum alimentorum.

Quæres 103. in quo consistat debitus patrono honor seu honorificentia, quam, ut Lott. l. 99. n. Gelas. Papa. c. pia mentis. 16. q. 7. vocal processions aditum. Clem. 3. in c. nobis. h. tit. honorem processions?

1. **R**espondeo in sequentibus. Primò: quòd debeatur illi honoratior locus in processionibus (v. g. postremus prope prælatum, nisi in illa provincia sit major honor præcedere, quàm se-

qui,

qui Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 214.) & sessionibus in Ecclesia, aliisque actibus similibus præ ceteris laicis, c. nobis. Pirh. n. 36. Lott. loc. cit. n. 2. quamvis. Fagnan. in cit. c. nobis. n. 12. putet, Dominum temporalem loci, qui contentiosam jurisdictionem fori externi obtinet, etiam in patronata Ecclesia debere præcedere patronum, præsertim si jurisdictionem habeat in ipsum etiam patronum. Idem censet Card. de Luca in sum. juris. n. 137. dum ait: habere primum locum post principem, vel magistratum, primam figuram faciente in distributione palmarum, candelæ &c. super alios sæculares digniores. Nequaquam tamen ei conceditur locus in sacratio, seu presbyterio seu diaconio (quod est locus ante altare majus cancellis divisus à reliqua Ecclesia, ubi presbytero facta peragenti, qui funguntur diaconi & subdiaconi munere assistunt. c. 1. de vita & honestate cler. Lott. l. 1. q. 13. n. 20.) multoque minus hæc prærogativa indulgeretur scemina, si ad eam spectaret jus patronatus; Lott. cit. q. 4. n. 4. & seq. l. 2. juxta decif. Rotæ in una Valentina capella. s. Martii 1589. ex mente S. Congregationis rituum; siquidem ibi nulli laicorum est locus cit. c. 1. (intellige quod ad effectum sedendi vel standi, cum ipsis ministris; secus ad effectum recipiendi Eucharistiam, vel orandi. Lott. cit. q. 13. n. 26. citans Abb. in cit. c. & Pavin. de visitat. p. 2. q. 8. n. 36. Ita etiam, ut si laicus diu illuc admiffus esset; respectu ministrorum Ecclesiæ semper reputetur actus meræ voluntatis; nec consequenter ex quantocunque tempore intelligeretur ei jus quæsitum, nisi doceatur de quadragenaria cum titulo vel immemoriali, propter juris resistentionem. Lott. q. 13. n. 27. Quamvis tamen in sacratio ponatur etiam sedes regia à regione sedis Episcopalis, eò quod is sit persona sacra propter inunctionem in brachio, possitque etiam non habere sacrum ordinem; officium simplicis subdiaconi ministrando Episcopo exercere, de quo vide Lott. cit. q. 13. n. 30. & seq.

2. Secundò: quod ei debeat præcedentia, dum exhibentur communia obsequia, ut nimirum primus admittatur ad osculum pacis, primus de laicis thurificetur, primus accipiat palmam, candelam, Card. Luca loc. cit. Lott. loc. cit. citans Rotam apud Mant. decif. 244. n. 1. & Lamb. l. 3. q. 1. n. 15. Barb. loc. cit.

3. Tertiò: quod, si ratione personæ id ei congruat, v. g. dum patronus est Rex vel princeps aliquis magnus aut supremus, ei venienti ad Ecclesiam clerici debeant obviam ire processionaliter usque ad ambitum Ecclesiæ, eumque excipere. gl. magna in c. unicum, hoc tit. in 6. Pirh. loc. cit. Lott. n. 3. citans Abb. Hostiens Jo. And. in c. nobis. Et Chassan. in Catal. gloria mundi, parte 4. consid. 80. &c. Modò tamen per hoc Ecclesiæ nihil deperat proprii decoris. Unde si patronus vellet quotidie ita solenniter sibi occurrere, utique hoc justè ei posset denegari. Lott. n. 4. citans Butrio in c. nobis. n. 21. An verò præterea debeat patrono Ecclesiæ, ut in jus vocari non possit, nisi præmissa venia petitione, sicut de parentibus & patronis libertorum in jure cavetur, dubitari ait Pirh. loc. cit. viderique sibi verius, quòd et si id decens, non tamen sit necessarium; cum nullibi id de patrono, de quo hic, in jure sit expressum; citatque pro hoc Zoës. h. t. n. 27. Porro observandum ex Card. de Luca loc. cit. in supradictis præminentiss, seu juribus honorificis certam nihilominus & determinatam regulam generalem dari non posse; sed pendere decisionem ab observantia particulari, vel à generali more regionis, aliisque facti circumstantiis. Item

P. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

observandum ex eodem *ibidem*, in proposito juris patronatus honorifici ac patronalium eminentiarum, non requiri ad justificationem concludentem illam ac exactam probationem, quæ requiritur ad effectum juris præsentandi; sed leviores admitti probationes, etiam in personis potentibus; quæ in hoc non differunt à privatis; cum rigorosa illa forma Tridentini istum casum solius juris patronatus honorifici non percutiat.

Questio: 104. Num dicta honoris prærogativa extendat se quoque ad jus sepulture?

Respondeo primò: si fundator Ecclesiæ in ipsius foundationis limine reservavit sibi locum pro sepulchro sub expressa lege, ne ibi aliquis alius sepeliatur quàm ipse, & qui fuerint patroni Ecclesiæ, hæc lex servanda est, pactioque illa nihil ponit contra juris dispositionem; cum fiat, antequam locus ille, in quo eligitur sepulchrum, recipiat consecrationem, vel benedictionem, atque ita in tempore, quo vel ipsa terra liberè potest vendi, ac emi, Lott. l. 2. q. 4. n. 9. citans Boich. in c. abolenda de sepult. n. 8. sed &c. dum jam fundata & extracta Ecclesiæ, atque ita consecrata vel benedicta cum toto ejus ambitu, aliquis in ea construit capellam aut altare, simulque pacificiter de habendo in tali capella, vel ad tale altare jus sepulchri; nihil vetat id concedi de consensu Episcopi hujusmodi fundatori; cum prohibitio, de qua c. abolenda. non extendat se ad simplicem usum; uti rectè Abb. & Anchar. ad cit. c. 1. n. 5. qui usus in hoc consistit, ut extranei prohibeantur in eodem sepulchro sepeliri. Lott. *ibid.* n. 10. Unde etiam præscindendo à casu hoc foundationis beneficii, posse Episcopum, etiam ad solutionem certæ pecuniæ, concedere in tali capella alicui jus sepulture absque simonia, tenet idem Lott. n. 11. citatque pro hoc Navar. de sepulturis, cons. 1. n. 1. & Ledesm. in sum. p. 2. tr. 12. concl. 34. qui dicat esse communem Thomist. & Garc. p. 5. c. 9. n. 137. eò quod, ut Ledesm. permisceatur hic honor quidam temporalis, quinon est res spiritualis, ac proinde recipere potest æstimationem & pretium, sitque talis concessio loci, non prout est res sacra, benedicta, aut religiosa (istæ enim qualitates non recipiunt æstimationem, sed veniunt accessorie ad rem ipsam concessam & alienatam) sed prout profana, cujusmodi res reputatur prærogativa illa loci; in quo alius sepeliri non debeat Lott. n. 12. addens tamen n. 13. Hinc id, quod solvitur in eam causam, propriè non esse pretium, sed elemosynam, ut Soto. de just. l. 9. q. 7. art. 3. Spino. de testam. gl. 2. n. 44. Gratian. discip. for. c. 110. n. 6. Quamvis tamen jus illud sepulture à privato, etiam si hic tanquam fundator id acquisivisset, distrahi aut alienari cum dicta pactio nequeat, sine simonia. Lott. n. 10. 11. 17. & seq. Qui in hoc sensu intelligendum ait Molin. de primogen. l. 1. c. 24. n. 40.

2. Respondeo secundò: de cetero jus sepulture à dicto honore processionis re & ratione diversissimum est. Lott. c. q. 4. n. 7. & seq. citans Lamb. l. 1. p. 1. q. 11. 4. 13. n. 1. & in nullo prorsus symbolizat cum jure patr. de quo vide Lott. n. 22. Unde præscindendo à dicto casu expressa reservationis & acquisitionis juris istius sepulchri à fundatore in limine foundationis pro se & secuturis patronis, certissimè non debeat patrono Ecclesiæ vel altaris. Lott. n. 21. citans Rot. in Toletana Capella, & sepulchri. 27. junii.

1616. & in Callagur. juris patr. 27. Nov.

1617.

E 2

Qua-

Quaestio 105. Circa alterum ac praecipuum juris patronatus emolumentum, nimirum perceptionem alimentorum ab ecclesia in vergentia patroni ad inopiam, de quo statuitur c. quicumque. 16. q. 7. qualiter dicta alimenta praestanda?

Respondeo: praestanda sunt in domo propria patroni, & non in ipsa Ecclesia, Barb. juris Ecclesiast. l. 3. c. 12. n. 218. citans Rebuff. tr. de congrua port. n. 97. Surd. de aliment. tit. 4. q. 14. n. 21. Secundò: non solum pro eo, sed & uxore, filiis, familiâ Barb. ibid. Surd. loc. cit. q. 18. n. 18. Grilenzon. consil. 151 n. 25. Tertio: integra, scilicet cibus, porus, vestis, lectus, aliâque omnia, quæ sub alimentorum nomine veniunt, si suppetat ad hæc facultas Ecclesiæ. Barb. ibid. Surd. loc. cit. q. 23 n. 12. Quarto: praestando ampliora & pinguiora patrono nobili quàm ignobili. Barb. loc. cit. Surd. cit. q. 18. n. 15.

Quaestio 106. Qua conditiones requirantur & justificande sint in & à patrono, ut dicta alimenta petere, & percipere possit?

1. Respondeo sequentes: primò, dum in dubium vocatur per Ecclesiam seu ejus Rectorem erectio & dotatio, utpote ex qua debitum illud proficitur; de hoc prius, summarie tamen cognoscendum & statuendum, etsi admittantur leviores & minus concludentes probationes. Lott. l. 2. q. 5. n. 2.

2. Secundò: ut patronus descendat à fundatore, neque enim ad patronos alios, v. g. qui ex mero privilegio, vel jure purè hæreditario, similive alio titulo obtinere jus patronatus, dictus ille fructus seu jus percipiendi alimenta extenditur: ut constat ex cit. c. quicumque. Lott. n. 4. proinde dum de hoc dubitatur, descendencia hæc probanda; pro hoc autem sufficit quasi possessio alicujus juris, quòd non possit convenire alteri personæ, quàm ita descendenti, v. g. quasi possessio recipiendi quot annis in die purificationis candelam ab Ecclesia aliqua, dum constaret teneri talem Ecclesiam candelam istam offerre descendentibus à suo fundatore. Lott. cit. q. 4. n. 5. juncto n. 8. Etsi enim probatio præsumptiva resultans ex hujusmodi quasi possessione non sufficiat pro decidendo principali negotio, nisi probeatur aliud antecedens coadjuvans ipsum possessorium, & concurrat juris præsumptio illud approbans, ut ait Bald. l. 2. c. 189. n. 3. apud Lott. n. 6. sufficit tamen pro summaria illa cognitione status personæ in hoc iudicio alimentorum. Lott. ibid. juxta decif. Rotæ.

3. Tertio: ut patronus vergat ad inopiam, non quidem accipiendo de hoc nomen inopia, ut volunt gl. in cit. c. quicumque. v. ad inopiam, Azor. l. 6. c. 20. q. 3. &c. pro egestate summa & ætissimâ paupertate, seu prout inops in rigore dicitur; qui nihil opis habet, ut Jo. And. ad cit. c. nobis. h. tit. n. 16. Et egenus, qui nullius rei vel pecuniæ possessionem habet, ut Cajatus observat. l. 26. c. 3. ad differentiam pauperis, qui ita dicitur, quasi parùm habens; sed pro paupertate seu egestate simplice, ita ut patronus inspecto suo statu aliquo modo egeat, hoc est, non possit se, uxorem, filios, familiam amplius congrue statui suo sustentare. Pith. n. 37. Barb. loc. cit. n. 126. Lott. n. 24. & 25. citans Lamb. l. 3. q. 3. a. 3. Paul. de Citadin. de jure patr. p. 6. a. 4. n. 7. juxta decif. Rotæ in una Regien. Prioratus. 1. julii. 1596. Intellige, ex bonis propriis vel aliunde; puta, ex officio vel opere, quod licitè &

honestè exercere possit; Pith. loc. cit. vel ut addit Lott. n. 27. & seq. ex recurfu ad auxilium necessariorum seu amicorum, eò quòd inopia, quo verbo utitur textus, non tantum sit referenda ad opus seu divitias, sed & ad opem seu auxilium necessariorum, & hæc demum sit egestas illa, cui illuvies seu squalor inest, seu egestas summa, de qua in l. si quis à liberis. ff. de liber. agnos. citans pro hoc Bartol. ibid. n. 2. Surd. de aliment. tit. 1. q. 54. n. 16. Adeòque jam probandum tali non tantum, quòd ex bonis propriis non possit vivere secundum gradum & conditionem suam, sed etiam, quòd pro alimentis hujusmodi consequendis nullum sibi pateat juris refugium adversus alios (unde nihil ageret, qui utcumque pauper, haberet fratrem divitem, vel qui esset professus Religionem; à qua consequi possit alimenta. Lott. n. 35. juxta decif. Rotæ 454. n. 3. p. 4. recent.) & quòd industria propriâ sibi dicta alimenta comparare nequirit, vel quòd hac industria uti nequeat ob adversam valetudinem, aut simile impedimentum corporale; aut quia id repugnat honori suo; id enim absolute non posse intelligimus, quòd salvâ dignitate præstare nequimus. l. nepos. de verb. signif. Lott. num. 38. Porro, cum in arbitrio iudicis taxatio illa alimentorum posita sit. Lott. n. 32. & 39. Covar. var. resol. l. 2. c. 6. n. 8. Menoch. de arbit. casu 65. n. 9. Marefchor. var. resol. l. 2. c. 82. n. 12. Attentius is nihil considerare debet, quàm dignitatem patroni petentis alimenta, ut vel secundum ejus intentionem illa taxet, vel eundem rejiciat, ut qui ex propria industria victum sibi quaerere possit. Lott. n. 40. Quòd iudicis arbitrium rectè formari poterit ex iis, quæ fuscè Lott. à n. 41. de varia populi divisione in nobiles & plebejos; & horum in honestos & viles seu fordidos præclare disputat; ne ut Lott. n. 99. patronus hujusmodi pauper jacturam suæ dignitatis & honoris facere cogatur; quòd fiet, ubicunque de superiori aliquo gradu in inferiorem, exercendo officium aut ministerium aliquod pro quaerendo victu se indignum, dejicitur: unde etiam limitanda indefinita illa: non est indecorum exercere artem, quàm sui majores exercuerunt: ut non procedat, nisi qui rejicitur ad hujusmodi artem, sit in eodem gradu & statu, in quo erant sui majores illam exercentes; secus si sit in altiori gradu, ita ut ei sit summa verecundiæ tale exercitium. Lott. n. 101. qui etiam n. 102. ex Roland. vol. 2. cons. 54. n. 76. ait; si de exercitio alicujus artis (prout ars distinguitur ab officio) ageretur, incumberet Ecclesiæ jam onus probandi actorem callere hujusmodi artem.

4. Quarto: requiritur, ut justificet dictam inopiam seu lapsum fortunæ contigisse sibi sine sua culpa. Lott. cit. q. 5. n. 33. juxta decif. Rot. in Neapolitana alimentorum. 10. Aprilis. 1617. non est enim pium, ut inquit Covar. var. resol. l. 2. c. 16. n. 9. sed fortè impium, de rebus Ecclesiæ subvenire his, qui in paupertatem & carcerem ob propria scelera & luxum inciderunt, & ubicunque egestas obtenditur ad excusandum, non distinguitur an contigerit culpa vel sine eâ, sed ubi obtenditur ad instruendam actionem, ita ut alteri noceat, debet probari cum hac circumstantia; quòd contigerit sine culpa. Lott. cit. n. 33. citans Bald. in c. que in Ecclesiis, de constitut. n. 3. Tiraq. in l. si unquam. c. de revocata. donat. v. bona. n. 5.

5. Denique cum non teneatur Ecclesia alere patronum, nisi ex bonis superfluis, sive ex iis, quæ superpetunt ultra ea, quæ necessaria sunt ad fabricam & ministrorum sustentationem & cultum divinum: Quippe quibus ante alios ex bonis Ecclesiæ succur-

xi debet. Pirh. n. 37. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 217. citans Abb. in c. nobis. n. 6. Roch. Roland. &c. hæc superfluitas reddituum in Ecclesia detractis expensis necessariis pro servitoribus, & aliis necessariis cultui divino necessariò probanda est. Lott. cit. q. 5. n. 18. citans Abb. in c. nobis. n. 6. Butrio ibid. n. 22. Surd. de alien. tit. 7. q. 32. Porrò hæc alimenta præstanda ex fructibus seu redditibus ecclesiæ, & nequaquam ad ea præstanda vendendam esse proprietatem, tradit Surd. loc. cit. n. 6. apud Barb. loc. cit. n. 219.

6. Illud hæc notandum ex Card. de Luca. in sum. juris patr. n. 137. hujusmodi casus alendorum ab Ecclesia patronorum esse raros in foro & praxi; eò quod frequentius jus patronatus divitum Ecclesiarum, quæ Rectorem suum ac ministros congruè sustentare, ac insuper patrono alimenta præstare valent, ut plurimum esse solet apud Magnates, & potentes, divitesque; in exiguis autem beneficiis à perfonis privata fortune fundari solitis rarus sit casus ejusmodi exuberantiæ reddituum Ecclesiæ.

Questio 107. An, & que actio competat tali inopi patrono ad petenda alimenta?

1. Respondeo ad primum: competere ei actionem. Pirh. n. 37. citans Abb. in c. nobis. n. 6. sed latius dictam secundum paulò post dicenda.

2. Respondeo ad secundum: non competere ei actionem ex canone supra citato, sed potius officium judicis (quod est remedium ad instar actionis, & venire potest latà significatione actionis. Lott. cit. q. 5. n. 17. citans Ulpian. in l. actionis. de actione & obligatione & Richar. in rub. in fin. de off. judicis n. 1.) si vè peti nequeunt aliter, quam officio judicis. Paul. de Citad. tr. de jure patr. p. 6. n. 4. n. 8. quem citat & sequitur Lott. n. 10. deficiente enim obligatione deficit actio l. licet. ff. de procur. Jam verò de his alimentis nulla præexistit obligatio, quamvis enim ea debeantur naturali obligatione, id est, antidorali; hæc tamen obligatio est inefficax, & non consideratur tanquam obligatio; sed tanquam ratio quadam sive æquitas naturalis, quæ illud officium judicis promovet. Lott. n. 13. ex Surd. tit. 3. q. 1. n. 10. Nec obstat, quòd, ubi æquitas est à lege approbata, competat conditio ex lege; nam ut respondet Surdus n. 19. apud Lott. n. 15. conditio ex lege tunc datur, quando nulla prorsus suberat obligatio, id est, neque civilis, neque naturalis; adeò ut sit prorsus nova; secus verò ubi præxistebat obligatio naturalis; cum tunc non intelligatur per legem nova aliqua obligatio inducta, sed duntaxat excitatum officium judicis pro urgenda ipsa naturali obligatione; quæ tamen non producat actionem de jure civili, impedit tamen reputationem soluti quasi indebiti. Neque contrarii sunt Lamb. cit. a. 7. n. 6. & Joan. And. in c. nobis. n. 17. cum solum istis locis ostendant differentiam inter pauperes alios, quibus subvenire debet Ecclesia ex superfluis, & pauperes patronos, qui insuper ex officio judicis illa alimenta petere possunt. Ita Lott. n. 17.

Questio 108. Ad qua requirendus & obtinendus consensus patroni?

1. Respond. primò ad alienationem bonorum, seu dotis Ecclesiæ consensus patroni requirendus & adhibendus ex urbanitate & honestate quadam, ut dictum supra, non autem ex necessitate. Lott. l. 1. q. 1. n. 66. contra Rebuff. de alien. rer. Eccl. n. 90. Quamvis autem illius consensus non

P. Leuen. Fori Benef. Tom. II.

sit necessarius ad validitatem actus, potest tamen se patronus semper opponere, ne res Ecclesiæ dissipentur. Lott. ibid. ex Innoc. ad rub. de jure patron. n. 1. & Anchar. conf. 122. n. 5.

2. Secundò ad dismembrationem Ecclesiæ patronata non requiritur, nec curatur consensus patroni. Lott. l. 1. q. 28. n. 23.

3. Tertio: si præbendæ non ab Episcopo, vel capitulo, sed ab alio foundationem acceperunt, supprimi aut diminui non possunt sine patroni consensu, argumento cap. monasterium. 16. q. 7. Lott. l. 2. q. 8. n. 94. Laym. in c. 9. de constitut. citans Abbat. in c. cum accessissent de constit. n. 5. & Jo. And. ibid. n. 19. Si tamen necessitas postulet mutationem aliquam instituire in beneficiis, & patronus requisitus consentire nolit, etiam eo invito diminutio beneficii fieri potest; cum patronus impedire nequeat magnum bonum Ecclesiæ. Laym. ibid. juxta Abb. loc. cit.

4. Quarto: Ecclesiæ alicujus presbyter ob crimen canonicè amotus vel depositus postea restitui nequit ab Ordinario sine consensu patroni seu repugnante patrono; partim quia hæc est potius nova institutio, quam juris pristini restitutio; ideòque quodammodo nova patroni præsentatio necessaria; partim, quia vacante beneficio per depositionem, patrono acquiritur jus alium præsentandi, quod jus invito adimi non debet. Laym. ad c. quamvis. de rescript. n. 3.

5. Ecclesia patronata erigi non potest in collegiatam absque consensu patroni. Lott. loc. cit. nu. 95. citans Jo. And. in c. nobis. h. r. n. 8. Et, si erectio hæc fiat, intactum tamen durat jus patronatus in jure præsentandi ad canonicatus. Lott. n. 96. citans Seraph. decis. 1444. n. 11.

6. Sextò: non potest Episcopus Ecclesiam vel beneficium patronatum concedere in proprietatem per modum incorporationis alteri Ecclesiæ seu beneficio, vel etiam unire, aut ex redditibus Ecclesiæ in alia ecclesia præbendas seu beneficia erigere sine consensu patroni, sive ecclesiastici, sive laici; nec etiam sufficit ad hoc solum consilium patroni; cum id cedat in præjudicium patroni; utpote qui per talem incorporationem aut unionem amittit jus præsentandi. Pirh. loc. cit. n. 122. c. monasterium. 16. q. 7. ubi gl. in c. suggestum. h. r. & ibi Abb. n. 1. Rebuff. in praxi benef. tit. de unionibus. n. 28. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 12. Garc. p. 12. c. 2. Laym. theol. moral. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 12. coroll. 2. & licet jus patr. non amittat, quòd ad illas præbendas ex redditibus beneficii patronati de novo erectas (potest enim ad illas præsentare) interest tamen patroni, ut redditus beneficii patronati sibi subjeçti non alienentur, uniantur, aut supprimantur; & hinc se opponere potest istis novis erectionibus. Pirh. n. 123. citans Abb. ubi antè num. 3. potest tamen, ut dictum paulò antè, etiam contradicente patrono, Episcopus urgente necessitate talem reddituum translationem facere, quin & ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ patronatæ applicare, erigendo v. g. in ea novum beneficium; cum enim jus patr. sit ipsi concessum ab Ecclesia ex gratia, & non ex absoluto debito, non potest impedire, quòd minus subveniatur magnæ illius aut necessitati aut utilitati. Quin & nullum creatur præjudicium patrono; dum jus præsentandi manet ei integrum, & quia tota ordinatio & dispositio circa bona Ecclesiæ non ad patronum, sed episcopum spectat, non debet patronus se immiscere, nisi appareat, jura & bona Ecclesiæ patronatæ alienari, perdi, imminui, vel in alium finem, usum, locum, personam contra in-

E 3

stitu-

stitutionem transferri. Pirh. cit. n. 123. citans Abb. & Laym. ubi ante, Inno. in c. 3. de privileg. n. 3.

7. Septimo: licet, si parochialis Ecclesia unita sit paraturz seu beneficio electivo, in institutione vicarii requirendus non sit consensus patroni; quia is per unionem, saltem si cum ejus consensu facta fuit, censetur amisisse jus presentandi, nisi specialiter id sibi reservarit; Laym. in c. ad hoc, de offic. Vicarii n. 3. Dum tamen propter amplitudinem parochiaz constituta fuit Capella vel Ecclesia filialis principaliori seu matri subjecta, ita ut in ea vicarius à principali rectore cum consensu Episcopi ponendus sit, patroni requiritur consensus, vel potius à patrono & rectore simul presentari debet dictus vicarius; cum patrono competat presentare ad titulum parochiaz à se fundata, dotata, &c. Vicarius autem in parochia in perpetuum constitutus acquirit titulum canonicum, saltem utilem; cum directus titulus sit penes rectorem principalem; ita ibid. Laym. citans Innoc. Alan. &c. in cit. c. ad hoc. Lap. & Zabarell. in clem. unic. de offic. vicarii, contra gl. in c. ad hoc.

Questio 109. Qualiter vacante beneficio juris patronatus, patronus vocandus, ejusque voluntas exquirenda ante provisionem, & quid de hoc statuerint jurat.

1. Respondeo primo: dum beneficium tale vacat per obitum aut per modum alium involuntarium, liberè & independentè à voluntate patroni, conferre illud nequit Episcopus, seu ordinarius collator; quòd si spretò patrono (sperti autem is dicitur, dum, cum possit commode vocari, non fuit vocatus, vel vocatus non fuit expectatus, vel praesens fuit repulsus, vel non auditus. Lott. l. 2. q. 14. n. 62. juxta Hugon. Archid. Bellam, Turrec. in c. decernimus, paulò post citandum) Rectorem in Ecclesia ordinare praesumpserit, illius ordinatio irrita erit, & ad verecundiam talis Episcopi alius ordinandus, quem fundator seu patronus elegerit; ita expressè statuitur c. decernimus. 16. q. 7. & hunc canonem esse latae sententiae, non verò ferendam, ita, ut ipso jure talis collatio seu ordinatio sit irrita, fuscè ostendit Lott. loc. cit. n. 50. Dato enim hujusmodi temerario contemptu & vilipendio personae & juris alterius (quod importat vox illa, spretò, juxta l. litigatores. ff. de recept. arb. Lott. n. 54.) merito actus declaratur irritus à principio; cum nequeat esse de ratione legis, ut sustineat actum injuriam, & contumeliosum, vel per momentum in statu validitatis; cum id repugnet juris principiis. l. justitia. ff. de jure & just. Lott. d. n. 57. Quòd si tamen ordinarius collator providerit de tali beneficio nullo opponente vacationis; valere talem provisionem, cum nulla lex eam irritet ipso jure, nec urgeat amplius ratio citati canonis (cessat enim spretus, etiam in Episcopo habente scientiam juris patronatus; dum nemo se opponit vacationi) censet Lott. d. n. 63. eò quòd censetur facta talis provisio sub ea conditione; si patrono placuerit. Lott. n. 65. ex l. 1. q. 34. n. 62.

2. Respondeo secundo: ad casum, dum beneficium vacat per resignationem, licet beneficium juris patronatus sit ex natura sua resignabile, non vocato patrono. Lott. cit. q. 14. n. 66. ex Calderin. consuls. de renunc. & Moheda de jure patr. decis. 6. n. 1. resignationem tamen conferibile non est sine consensu patroni. Lott. n. 66. Hinc quidem facta resignatione non simpliciter; sed ad favorem coram ordinario (uti id fieri potest juxta c. unic. de rer. permutat. in 6.) permutationis gratia, dum patronus non repugnat, seu

non reclamatur, resignatio & permutatio erit valida, ex quo semper est ratificabilis, adeòque tenet merito jure. Lott. n. 71. & 72. dicens esse sententiam verissimam, citansque pro ea Fed. de Senis tr. de permut. beneficiorum. q. 30. tr. 52. Felin. in tr. quando sit. apostolica praejudic. patrono. ampliatione 9. n. 15. & plures Rot. decis. citatus enim canon. decernimus; provisionem talem non vitiat ipso jure, nisi supposito contemptu & spretu; & quòd patronus ejus causam profequatur; sed neque negat spretum aut contemptum illum esse remissibilem & actum ratificabilem, ut ex tunc convalescat, fiatque retractio ad principium, pro quo factus est, non fuisse submoram spem ratificationis. Lott. n. 72. & 73. Reclamante verò patrono resignatio ex causa permutationis facta coram ordinario ipso jure erit nulla, nisi resignans ignorarint patronatum. Lott. n. 76. n. 4. Idque procedit, etiam si expressissent beneficium esse juris patr. aut enim id expresserunt apud Ordinarium, & in hoc aliud considerari nequit, quàm contemptus patroni; cum Ordinarius derogare nequeat juri patronatus. Adeòque adhuc talis resignatio nulla. Lott. n. 78. citans Calderin. aut expresserunt hoc apud Papam, & nisi is derogat juri patronatus; irrita adhuc est provisio ex defectu voluntatis; cum iure obligatur facta sub conditione; si accedat consensus patroni. Lott. n. 79. citans Decium. Neque enim hoc ipso per Papam censetur derogatum juri patroni, ut censet Lamb. quòd de ea facta sit mentio apud illum. Lott. n. 83. Atque in hoc casu, dum resignatio talis est nulla ipso jure ob contemptum patroni, resignans non revertitur ad beneficium resignatum, sed poterit patronus liberè alium presentare instituendum in penam ingratitudinis resignantis, sive permutantis. Lott. n. 84. citans Gemiu. in c. nemo deinceps. de elect. in 6. n. 11. Si autem non est ipso jure irrita, sed venit annullanda, quia resignans vel permutans ignoravit patronatum, seu quia in genere non potest illi adscribi ingratitudo, cassata resignatione, poterit resignans reverti ad suum beneficium. Lott. n. 85. citans Butrio in cit. c. nemo deinceps. n. 10.

3. Respondeo tertio: sed neque Ordinarius collector cogere potest patronum ad non reclamandum seu ad consentiendum. Calderin. cons. 2. de rer. perm. apud Lott. n. 67.

Questio 110. qua pena statuta gravantibus patronos ob certam personam non presentatam.

Respondeo: excommunicationis sententiam ipso facto incurrunr, quicumque clericos aliaque personas Ecclesiasticas (sunt enim aliquae personae Ecclesiasticae absque eo, quòd sint clerici v. g. moniales, religiosi conversi, religiosi militares, hospitalarii. Laym. ad c. sciant. de elect. in 6. n. 2.) ad quas spectat nominatio, institutio, presentatio, confirmatio, eorumque consanguineos (intellige usque ad quartum gradum. Laym. ibid. num. 5. non tamen comprehendendo hoc nomine eorum affines, vel personas eis familiariter conjunctas. Laym. ibid. nisi fortè ut Suar. de cens. d. 23. f. 4. n. 4. eodem modo conjuncta essent, ut injuria ipsis illata derivetur atque extendatur ad personam ecclesiasticam) in beneficiis aut quibusvis bonis injustè gravare (qualiter injustè gravari non censentur, dum ob eam causam consuetam aliis eis dari eleemosyna, eis subtraheretur. Laym. ibid. n. 1. citans Nav. in manual. c. 27. num. 122.) praesumpserint per se vel per alios, spoliando,

aut aliter injustè persequendo ob eam causam, quòd rogati vel moniti, ut certam personam præsentent, nominent, &c. patroni parère noluerint. Laym. in cit. c. *sciatis*, eò quòd licet dictum cap. loquatur expressè tantùm de Electoribus; ob omnimodam tamen æqualitatem comprehendat etiam præsentatores, institutores, confirmatores, postulatōres. Laym. *ibid.* n. 3. citans Gloss. & Joannem Monachum in cit. c. Suar. & Nav. ubi ante. Porrò comprehendì quoque non tantùm mandantes, sed & mandatarios exequentes hujusmodi gravamen; cum verè & realiter persequantur & vexent, etsi iusti ab alio, non secus ac ex mandato alterius percutiens Clericum unà cum mandante incurrit excommunicationem, docet idem Laym. *ibid.* num. 4. cum Gl. v. alios, contra Joannem Monach.

Questio III. Quid possit patronus quoad constituendum procuratorem in Ordine ad præsentandum?

Respondeo: de hoc actum §. præcedenti.

PARAGRAPHVS VIII.

De derogatione & amissione Juris patronatûs, &c.

Questio III. An Papa derogare possit juris patronatûs cuiusque tam laico, quam Ecclesiastico, & disponere pro libitu suo de beneficiis juris patronatûs, patronis etiam in vivis?

Respondeo affirmativè. Less. de just. l. 2. c. 34. n. 35. Covar. pract. quest. c. 36. Castrop. tr. 13. de benef. d. 2. p. 10. num. 1. Lott. l. 2. q. 8 n. 5. citans Paris. de resignat. l. 3. q. 4. n. 32. Monet. in tr. de commut. vol. c. 10. q. 5. num. 158. cum communi DD. in c. cum dilectus, h. t. jus enim hoc est introductum jure canonico, cui derogare potest Papa, concessumque jus patronatûs à Pontificibus principaliter in bonum Ecclesiæ, ut ea habeat defensores, fundatores, dotatores; secundariò in honorem ipsorum fundatorum, &c. Unde dum Papa judicat Ecclesiæ expedire, ut non expectet patronorum præsentationem, vel alteri non præsentato conferat, potest liberè conferre; cum semper major debeat haberi ratio finis principalis, quam secundarij. Less. *ibid.* Sed & ex eo, quòd hoc jus concesserit aliis, non censetur se ipsum in omni eventu voluisse spoliare suâ conferendi potestate, sed sufficit, ut regulariter præsentationes patronorum admitat, ita Less. Et, si supremus princeps secularis (dum non obstat Ecclesiæ, vel pia causa ratio) habeat potestatem dispensandi & derogandi supremis defunctorum voluntatibus ac legibus ex ea ratione, quòd facultas disponendi de bonis post mortem tanquam in tempore inhabili, quo mortuus jam annihilatus est, neque amplius illorum dominium habet, proveniat à gratia & benignitate legis positivæ, cui derogare potest, multò magis majorémque potestatem commutandi ultimas defunctorum voluntates, vel eis derogandi habet supremus princeps Ecclesiasticus, præsertim contra hæc jura spiritalia non competentia ex privatis dispositionibus, neque sub eis cadentia sine Ecclesiæ consensu, Card. de Luca, in summ. ju-

ris, n. 6. Nihilominus usque adeò constans est Papa in non præjudicando juripat. dum hoc competit de jure communi, scilicet ex fundatione, dotatione, &c. ut nequidem patiarur illud includi in reservatione majore, hoc est, inclusa seu expressa in corpore juris, Lott. num. 6. juxta Gl. Gemin. & alios passim in c. 2. de concess. præbend. in 6. Idque, ne homines retrahantur ab oblatione seu holocausto, hoc est, fundandis, dotandis Ecclesiis; quæ ratio cessat in jure patronatûs concessio ex privilegio, aut alio jure singulari. Lott. num. 10. & 11. sed & ob datam rationem non tantùm in suis constitutionibus Papa parit patronatibus; verùm etiam multò magis in beneficiorum provisionibus tanta est modestia sedis Apostolicæ, tantisque zelus conservandi patronatus laicorum, ut mirum sit quàm religiosè fundatorum voluntates hac in parte illibatas haberi velit. Lott. cit. q. 8. n. 93. Nam in quacunque resignatione, etiam permutationis gratiâ adjicitur clausula: *Accedente consensu patroni*: & si non fieret mentio de patronatu, gratia esset nulla, nisi ex tacito saltem consensu patroni convalesceret. Lott. *ibidem*. Paris. de resign. l. 2. q. 4. n. 4. Similiter in unionibus & suppressionibus hoc tenacissimè servatur, ut Lott. num. 94. citans Paris. num. 11. Roch. h. tr. v. honorificum, num. 8. &c. Item si erigatur Ecclesiæ patronata in Collegiatam, de quo dictum suprâ. Porrò ut valida sit istiusmodi derogatio, nulla requiritur causa; ut verò licita, requiritur causa rationabilis, & justa, respiciens utilitatem Ecclesiæ; cum juri alterius quæsitò derogare sine causa non sit justum, causaque requiritur diversa, & major pro derogatione juris patronatûs laicalis, quàm Ecclesiastici; cum sit privilegium omninò gratuitum: illud verò onerosum & remuneratorium, & quasi ex contractu. Castrop. loc. cit.

Questio III. Quid possint in hac parte Nuntii Apostolici & Episcopi?

Respondeo primò: Legatum à latere, & consequenter Nuntium Apostolicum cum potestate legati de latere, posse derogare patronatûs Ecclesiastico, seu conferre beneficium certæ personæ irrequisito patrono Ecclesiastico, nullâ etiam factâ mentione aut derogatione dicti juris patronatûs. Tond. qq. benef. p. 2. c. 2. §. 6. n. 27. Gigas. de pens. q. 24. num. 1. Rebuff. in pr. 3. p. signatura v. nec non. n. 6. Garc. p. 5. c. 3. n. 17. citans Lamb. p. 1. l. 1. q. 1. a. 6. n. 4. Corraf. Gamb. Curtium, & plures alios. Nullatenus verò laicali, seu irrequisito patrono laico, vel etiam Clerico, cui jus patronatûs competit ratione patrimonii sui; quia tunc præsentat ut laicus. Pirh. num. 135. Less. loc. cit. num. 38. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. Castrop. de benef. tr. 13. d. 2. p. 25. num. 11. Garc. p. 5. c. 3. n. 63. ubi tamen num. 66. ait, posse Legatum conferre beneficia juris patronatûs laicorum; dum illa devoluta ad Episcopum ex negligentia patroni, de quo inferius) Lott. l. 2. q. 10. n. 72. juxta c. dilectus, de offic. delegati, cum communi DD. *ibid.*

2. Sed neque ligatus derogare potest juris patronatûs mixto. Pirh. ad h. t. num. 136. etiam dum plures sunt patroni Clerici, quàm laici. Pirh. num. 137. Potest tamen derogare juri patronatûs competenti etiam laico solum per præscriptionem, vel ex privilegio (intellige mero) Less. loc. cit. num. 42. Pirh. num. 136. citans Azor. l. 6. c. 28. q. 12. Castrop. Lott. *ll. cit.* Covar. pract. qq. c. 36. n. 6.

Tusc. v. *Legatus. conclus.* 172. Barb. in *cit. c. cum dilectus. num. 3.*

3. Respondeo secundò: Episcopum juripatr. neque laicali, neque Ecclesiastico derogare posse. Less. *loc. cit. n. 39.* ubi, quòd si tamen præveniendo præsentationem patroni, conferat beneficium, collatio non sit irrita; verùm securà præsentatione patroni intra tempus à jure præscriptū evanescat dicta collatio juxta *c. decernimus. 16. q. 7.* si autem intra illud tempus patronus neminem præsentavit, vel se non opposuit, collatio manebit valida; quia jam ad Episcopum est devoluta, & prior collatio non fuit irrita, nisi subsecutà præsentatione patroni intra tempus.

Questio 114. Qualiter, & quando Papa consueverit absolute derogare juripatronatus laicorum?

1. Respondeo: duplici modo, in totum & in parte. In totum derogatur isti patronatui, dum beneficium vacat in Curia, seu apud Sedem Apostolicam per obitum. Card. Luc. in *summ. juris patronatus. num. 7.* Lott. *cit. q. 8. num. 89.* citans Paris. *d. q. 4. num. 44.* Mandos. *de signat. gratia. v. derogationes juris patronatus.* Staph. *de mod. & for. pro vid. sect. sequitur videre. num. 10.* Et hoc quidem ex eo congruentiæ motivo, quòd indecorum videatur Pontificiam majestatem privati patroni voluntati subjacere debere in iis, quæ ab ipsiusmet Pontificis gratiâ obtinet privatus. Card. de Luca *ibidem.* Sed nec ista derogatio est contraria voluntati fundatoris, eò quòd licet istiusmodi beneficia patronata vacantia per obitum ad Sedem Apostolicam non cadant sub reservatione clausa in corpore juris, censeatur tamen in casu talis vacationis fundator se voluisse accommodare consuetudini, de qua in *textu cit. c. 2. de præb. in 6.* ac illius rationi; nimirum, ne quisquam inferior Papâ in reverentiam sedis Apostolicæ se ingerat in provisione beneficii apud ipsam vacantis. Lott. *num. 99.* Non solet tamen etiam, quamvis possit, in hoc casu vacantis apud Curiam beneficii hanc potestatem exercere cum Regibus & Principibus jura regni habentibus. Card. de Luca. *loc. cit.*

2. Secundò: dum patroni impediuntur præsentare propter litem in Curia, juxta *c. 2. ut lite pendente. in 6.* Et quia hoc casu nemini patronorum inferitur injuria, propter impedimentum litis, cessat omne præjudicium, etiam in tantum, ut nec opus sit in provisione beneficii facere mentionem juris patronatus. Lott. *num. 100.* citans Cassad. *decis. 3. ut lite pend. per tot. Gomez. in reg. Cancell. de impetrant. per obitum. sam. Azor. l. 6. c. 23. q. 8.* & alii apud Castrop. *loc. cit. num. 9.* Verùm circa hoc varios casus distinguit Covar. *pract. qq. c. 36. à n. 1.* quorum primus est; dum duo præsentati, quorum neuter institutus, litigant in Curia super beneficio, atque Gl. in *idem c. lite pend.* non posse Papam tale beneficium providere, eò quòd nulla sit vacatio beneficii, cujus nulla est institutio, & consequenter non sit reservata Papæ. Neque sit locus Clem. 1. *ut lite pend.* Secundus: si duo præsentati & instituti litigant in Curia, & uterque moriatur Romæ, vel possessor beneficii Romæ, & alter alibi, atque Covar. tunc posse Papam beneficium providere, si sit patronatus Ecclesiastici; quia locus est Clem. *ut lite pendente:* si est laici, non posse id Papam sine expressa illius derogatione, eò quòd tunc benefi-

cium vacet, lisque omnis finita, & spectet ad laicum ejus præsentatio. Tertius: dum duo præsentati à patronis discordibus litigant Romæ, & alter eorum ibi vel alibi moritur, altero manente superstite, & tunc non posse Papam alteri superstiti absque expressa derogatione jurispatr. conferre beneficium, tenent Jo. Andr. Card. Lamb. relati à Covar. eò quòd hi AA. teneant, patronum loco præsentati mortui præsentare alium, nec impediri ob litis pendentiâ, quoties ab eo præsentatus institutus non est; eò quòd litis pendentiâ tantum impediatur novam electionem aut collationem, non præsentationem. Econtra ipse Covar. cum aliis à se relatis, quia censet lite pendente non posse alium præsentari in locum demortui colligantis, sive is institutus fuerit, sive non; eò quòd textus *c. ut lite pend. in 6.* loquatur expressè etiam de præsentatione, ne lites prorogentur cum damno Ecclesiæ, hinc inquam, tenet Covar. posse Papam, etiam absque consensu Patroni, subrogare colligantem alium, ut is loco defuncti litem prosequatur; ab eo statum, in quo lis remansit à tempore vacationis; non posse tamen Papam, spectato jure communi, beneficium alteri tertio, vel colliganti providere, quin prius defunxit litem, juxta *cit. Clem. 1.* eò quòd ex definitione litis constare debeat, cui competat beneficium: si enim pro defuncto fertur sententia, providendum est, ut omnino vacans (idem est, si decisum est, ad neutrum litigantem pertinere beneficium) si autem pro litigante superstite, hic est institutus, si institutus non fuerit, vel, si jam fuerit institutus, est firmandus; ita Covar. apud Castrop. *num. 9.*

3. Dum autem derogat patronatui pro majore parte præsentantium, aut etiam pro medietate, nihil in se amari habet hæc derogatio; non prima, quia dum is, qui impetrat, supponit se præsentatum à majore parte, de jure clarum est, non habendam rationem minoris partis. Lott. *num. 101.* non secunda; si enim, qui impetrat, profiteatur se præsentatum à medietate patronorum existentium in quasi possessione præsentandi, & sic saltem se esse positum in æquilibrio cum alio; tunc neque sit in articulo patronatus contra voluntatem fundatoris, neque in articulo præsentationis sit injuria aliis patronis, aut præsentato ab eis; quia, cum sit locus gratiæ, nemini dicitur jus quasi situm, cui præjudicium fiat. ita Lott. *num. 102.* & si quod in hoc contineretur præjudicium, illud solum est Ordinarium, vel alterius, cui competit jus instituendi, ita eum præveniendo in ea gratificandi, aut alias conferendi facultate, quam hic haberet, dum datâ plurium coequali præsentatione, nulla sit conclusa; quæ sit arctativa superioris ad instituendum, adeoque patroni in tali casu suæ discordiæ, id sibi impudent. Card. Luca *loc. cit. n. 11.*

4. Simile quid est, & derogari quasi videtur juripatronatus, dum conceditur retentio beneficii juris patronatus alicui promoti ad Episcopatum, vel etiam assequenti secundum beneficium incompatible; nam neque in hoc casu adversatur voluntati fundatoris, aut præjudicatur patronis; cum ipsi semel approbaverint personam, & non dicitur vacatio de facto. Lott. *num. 105.* juxta decis. Rotæ: Sed neque hoc est conferre, vel providere, aut tollere patrono jus præsentandi, sed solum occurrere principio vacationis, ne ea sequatur tanquam per remotionem obitaculi decernendo, ut non sequatur vacatio. Unde & dispensatus non dicitur.

dicitur assequi vel obtinere ex novo jure, sed retinere seu continuare jure primavo. Card. de Luca. *in sum. juris patronatus* n. 10. De cetero, si qui alii conringunt, quamvis nimium rari, casus derogationis, justam habent causam. v. g. expellendi intrusum, seu provisionaliter ad tollendas lites, scandala, seu scandalorum occasiones inter contententes & pertinentia juris presentandi. Idem Card. *ibid.*

Questio 115. An, & qualiter Papa derogat patronatibus Ecclesiasticis?

Respondeo: illis solere Papam in totum derogare; sed quod cessent ibi dicta illa rationes; nimirum ut homines non retrahantur à fundandis Ecclesiis, utpote quæ non considerantur, nisi in patronatibus laicorum, hoc est, fundatorum ex bonis patrimonialibus. Lott. n. 103, & 104. juxta gl. in *c. dilectus*, h. t. qui etiam dicto n. 103. idem censet de patronatibus ita mixtis, ut non præponderet qualitas laicalis, vel etiam spectantibus ad alios jure specialii.

Questio 116. An, & quibus patronatibus derogaverit, eos revocando, Trident.?

Respondeo primò: Trid. *sess. 25. c. 9.* patronatus reliquos (intellige non competentes verè ac realiter ex fundatione & dotatione) omnes tam in beneficiis facularibus, quam regularibus, parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis in Cathedrali vel collegiata Ecclesia, seu facultates & privilegia concessa, tam in vim patronatus, quam alio quocunque jure nominandi, eligendi, presentandi ad ea, cum vacant, (exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & Reges, seu regna possidentes, aliòsque sublimes ac supremos principes jura Imperii in suis dominiis habentes, pertinent, & quæ in favorem studiorum generalium concessa sunt) in totum prorsus abrogata & irrita, cum quali possessione inde secutà decernit, verba hæc sunt Tridentini.

2. Sic itaque vi præsentis decreti sublatis sunt patronatus ex privilegio, non autem ex fundatione & dotatione, uti expressè S. Congregatio Conc. 4. *Decemb. 1586.* & juxta hanc Lott. *l. 2. g. 8. n. 12.* Garc. *p. 5. c. 9. n. 115.* Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 63.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 18. n. 97.* Paris. & c. Proceditque id ipsum, etiam in privilegio diceretur, quòd jus patronatus concessum esset ejusdem prorsus naturæ ac roboris, ac si ex fundatione & dotatione competeret, vel quale est Regum. Barb. *loc. cit. ex Garc. n. 118.* juxta ejusdem S. Congregationis decis. quam recitat. & Gonz. *ubi ante. n. 102.* cum enim sit ad instar, & non propriè Regum, aut ex fundatione, non comprehenditur sub exceptuatis, Garc. *loc. cit.* juxta eandem S. Congreg. declar. Quin & quòd prægnantiores sunt clausulæ & decreta hujusmodi, eò magis in privilegium sonant, consuetaque illa clausula: *perinde ac si ex dotatione, ex vi & proprietate dictionis illius; perinde, resolvitur tota in improprietatem & fictionem.* Lott. *cit. g. 8. n. 23. & 24.* juxta plures Rotæ decis. quòd idem observandum circa id, quòd mox subsequitur. Item procedit, etiam in privilegio diceretur jus patronatus competere non solum ex privilegio, sed ex vera & reali fundatione & dotatione. Barb. *ibid. ex Garc. n. 117.* & Gonz. *n. 97.* juxta decis. Rotæ in una *Placent. parochialis. 29. & ult. Jan. 1594.* quam fusè recitat Garc. in qua et-

iam dicitur, nihil ob stare, quòd sic loquatur privilegium; cum clausulà illà non obstante, patronatus hujusmodi passim dicuntur ex privilegio, licet habeant aliquid plus prærogativæ, quam patronatus ex simplici privilegio: ut Moheda *de jurep. decis. 11.* Puteus. *decis. 322. l. 1.* ita tamen, ut tantæ non sint potentia, ut per hoc à concilio præserventur, maxime cum concilium loquatur per verba importantia veritatem, dum vult, quòd titulus sit ex fundatione & dotatione; unde impossibile est, ut porrigatur ad patronatus, qui sunt tales per fictionem, ut in simili receptum est, dum Papa per suam constitutionem decernit Notarios non participantes esse veros, & non fictos familiares; nam non minùs ideo dicuntur ficti per privilegium & non veri, ut Castrenf. *conf. 340. vol. 1.* Ideoque licet princeps veritatem mutare non potest, licet possit contra veritatem fingere. Atque ita dicta clausulæ insertæ privilegio non derogant futuris constitutionibus; quia non porriguntur ad constitutiones conciliares, nisi earum nominatim facta mentio, ut Oldrad. *conf. 226. n. 1.* Calderin. *conf. 11. de privilegio.* Item procedit, dum constat de origine privilegii, vel jus patronatus præsumitur esse ex privilegio, & adest immemorialis; hæc enim non prodest propter appositam in dicto Trid. decreto clausulam: *non obstantibus quibuscumque consuetudinibus.* Barbof. *n. 64.* citans Maslobr. *in pr. habendù concurs. prælud. 7. dub. 3. n. 85.* Garc. *n. 119.* juxta decis. S. Congreg. Concilii, quam *ibidem* refert.

3. Respondeo secundò: nequaquam tamen Trid. dicto decreto aut alibi revocat jus patronatus ex privilegio, dum privilegium concessum ex causa onerosa, v. g. ex causa dotis, seu ex nova constructione vel alia simili causa. Lott. *loc. cit. Barb. cit. n. 64.* Garc. *n. 120.* testans sic tentum à Rota in pluribus decis. quas recitat, siquidem privilegia hujusmodi Concilium dicto *c. 9.* circa finem mandat examinari per Ordinarios, & quos patronatus non reperiunt constitutos esse in evidentem Ecclesiæ vel beneficii utilitatem, seu dignitatis necessitatem, hos in totum revocent, atque beneficia hujusmodi sine damno illa possidentium, & restituto patronis eo, quòd ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant & c. In quo decreto ait Lott. apertè dignoscitur præservatos fuisse patronatus ex privilegio oneroso, juxta repetitas Rotæ decis. Porro ut privilegium tale concessum censetur ex causa onerosa, & concessio non reputeretur tora gratiosa, exigitur, ut onus, sive quòd expensum est, æquivalet concessioni. Barb. *n. 65.* Lott. *cit. g. 8. n. 21.* Qualiter æquivalet, si aucti sint fructus ad medietatem veri valoris annui, Lott. *n. 20. & 24.* Quæ verò requirantur circumstantiæ & conditiones, ut censetur acquisitus patronatus per privilegium ex augmento dotis ad medietatem, non abrogatus, vide apud Lott. *n. 30.* & dictum fuit supra. Sed neque talia jura patronatus ad beneficia non electiva concessa per privilegium ex dicta tali causa onerosa abrogantur; sed præservantur per constitutiones Innocent. 8. & Adrian. 6. præter decretum Trid. emanatas, illa anno 1485. 10. Kal. Decemb. hæc Anno 1522. 9. Decemb. Lott. *n. 25. & 29.* Transseunt enim istiusmodi privilegia in vim contractus (qui, ut Lott. *n. 27.* ex Maudos. *ad rom. conf. 352. n. 24.* sunt de jure gentium, & per principem aequè ac privatim servari debent) ac proinde, ut cadant sub decretis abrogatoriis, necesse est, ut in individuo de hoc fiat mentio, Lott. *n. 25. & 26.* citans Marefchot. *var. resol. l. 2. c. 40. n. 28.* Felin. *in c. cum olim. de sens. & re judicis n. 5.*

n. 5. &c. Dixi ad beneficia non electiva; vi enim dictarum constitutionum quacunque concessionem & privilegia ante illam Innocentii constitutionem precipue à 20. Annis & infra, etiam motu proprio, cuius personæ, Universitati, Collegio, Marchioni, Duci ac Regi super jure præsentandi ac eligendi ad monasteria & alia quævis beneficia electiva, quacunque in causa, & sub quovis onere & conditione concessa, abrogata sint & omnino annullata, etiam si conditiones, sub quibus concessa verè ac realiter servata ac impleta. *Lott. n. 16.*

4. Respondeo tertio: de cetero patronatus concessi, etiam à Papa, propter augmentum dotis, dum ea aucta non est ad medietatem, sed v. g. ad tertiam tantum partem, subjacent revisioni & examini Ordinarium, de quo *Trid. loc. cit.* & nos paulò antè, si concessio facta infra annos 40. à die confirmationis dicti Concilii; non verò subjacent dictæ revisioni, si concessio facta ante annos 40. à dicta confirmatione, *Garc. loc. cit. n. 124.* juxta expressam sacre Congreg. declarationem, quam *ibidem* recitat, & decis. *Rota in una Lucanâ canonicatus*, quam quoque recitat. Addit etiam *n. 126.* juxta decis. *Rota in una Melphensi juris patronatus*, 19. Janu. 1594. quod jure patronatus à Papa concessio propter fructus beneficii ad tertiam partem auctos debeat præbari implementum concessionis; & *n. 127.* quod patronatus concessus à Leone X. Anno 1515, ob augmentum dotis, quæ 130. ducatos non excedebat in annuis redditibus 10. ducatorum redditibus, etiam si hujusmodi implementum esset sufficienter probatum, adhuc subjaceret regulæ *Adrian. 6.* qua nimirum, ut *Lott. loc. cit. n. 16.* abrogata fuisse privilegia super jure præsentandi, etiam ad non electiva, nisi eorum fructus, redditus & proventus aucti fuerint bonis propriis privilegiatorum ad medietatem veri anni valoris.

Questio 117. An jus patronatus cadat sub reservationes Apostolicas? &c.

1. Respondeo. Reservationes apostolicas beneficiorum, quæ sunt propter crimen, vel quia contingit beneficia vacare apud Sedem apostolicam (quamvis de his contrarium sentire videatur *Lott. cit. q. 8. n. 98.*) vel ob aliam rationem ex juris communis, vel regularum Cancellariæ dispositione, non comprehendere beneficia juris patronatus laicorum quoad eorum præsentationem tollendam *Less. loc. cit. n. 32.* secus est de beneficiis juris patronatus Ecclesiastici; quod autem dicitur ab eodem ex mente glossæ in *reg. 40. Cancell.* comprehendere tamen beneficia ista juris patronatus laicalis, quoad institutionem, quæ tunc à Papa peti debet; & non à prælato, ad quem alias spectant. *Covar. loc. cit. n. 5.* intelligit de Episcopatibus, Abbatibus, Prioratibus, Decanatibus & aliis dignitatibus, quæ à Papa per regulam secundam reservantur; non verò de beneficiis minoribus, eo quod hæc dicat in omnibus reservationibus, etiam quoad institutionem esse exempta.

Questio 118. An etiam patronatus hujusmodi concessi per privilegium ex causa onerosa, nimirum ex aucta dote, saltem ad medietatem tamen si præservati, ut dictum à suprãdicto decreto Concilii, cadant nihilominus sub reservationibus apostolicis, precipue regula de mensibus?

1. Respondeo: istiusmodi patronatus laicos, ad non electiva nullatenus cadere sub regulis reservationis, etiam si hæc emanarint, ut possit provi-

deri pauperibus & aliis personis benemeritis; cum tamen non sit faciendus favor pauperum Clericorum & benemeritorum, ut aliis injuria fiat. *Lott. cit. q. 8. n. 28. & 29.* Estque in hoc summa æquitas & ratio; nam uti parcurat hæc in parte patronatus acquisitis ex totali dotatione & fundatione, ne laici ab his retrahantur, ita etiam parcendum patronatus acquisitis ex justo augmento dotis; in utroque enim casu laicus proprium exhaurit patrimonium in utilitatem Ecclesiæ, eademque ideo militat ratio conservandi, quod semel ei concessum est, ac proinde tale privilegium correspondivum beneficii talis collati in Ecclesiâ habens perpetuum commensurationem cum re concessa, ipsum quoque inviolabile est, non secus ac contractus celebratus cum ipso concedente, ad cujus naturam magis accedit: pendet enim tunc privilegium non ex concedentis auctoritate, sed ex jure alteri quæsito; & in hoc consistit vis irretactabilitatis & irrevocabilitatis; ita ferè *Lott. n. 56. & 57.* dicens ita quoque ex mente *Rota* notasse *Beltramin. ad Gregor. c. 397.* Proinde non subsistit, quod aliqui plus æquo adverstantes hujusmodi patronatus inquirunt apud *Lott. n. 38.* nimirum à constitutione *Adriani*, in qua dicti patronatus revocantur, non arguendum ad regulam reservationis, quod dicta prima privilegia non extinguuntur, sed suspenduntur, ac veluti consopiantur tantisper, donec reservatio consumatur: quod præjudicium dilativum non habetur; in tanta consideratione, nec habet tantum amaritudinis, quam habet extinctio, seu revocatio privilegii: utpote quod concessum à principe decet manere, ut ait *Pontifex c. decet. de reg. juris. in 6.* & per ejus successorem non revocari, ut *Paris. l. 4. cons. 37. n. 4.* Nam rectè quidem procedit hæc differentia inter præjudicium extinctivum juris alterius, & dilativum, ut *Lott. n. 47.* Verum in præsentem etiam in ipso articulo istius dilationis juris patronatus, seu potius juris præsentandi, usque dum consumatur reservatio, est jus quæsitum; (secus ac contingit in gratia expectativa, dum eâ concessâ, expectans tantum præteritur pro una alterave vice in collatione beneficii; siquidem per illam expectanti non est quæsitum jus aliud in re, vel ad rem ante ejus acceptationem. *Lott. n. 48.*) dum in hujusmodi privilegii perpetuo inferitur decretum; ne adversus hujusmodi patronatum ulla reservationes prævaleant, *Lott. n. 49.* Præterea in hac ipsa suspensione includitur re ipsâ privilegii revocatio, dum licet non revocet absolute privilegium, ita ut dici possit extinctum & peremptum; revocatur tamen promissio illa explicata, ne subjiciatur reservationibus; siquidem positum, quod privilegium contineat promissionem, ut tutum sit adversus reservationes; non potest intrare reservatio, quin inducatur revocatio; si non destructiva privilegii, saltem destructiva illius partem, diciturque ideo dispositio revocatoria. *Lott. n. 52.* juxta *Bald. in l. si cum mihi. ff. de dolo. n. 1. & 2.* Quin & dari facile potest casus, ut semel aperta viâ providendi per Papam vi reservationis, patronus frustra etiam per integrum sæculum expectet, ut consumatur reservatio; cum consueverint provideri Curiales, alterave personæ, in quibus reservationes perpetuantur; & præcindendo etiam ab hoc casu, expectandum etiam sit, ut vacatio incidat in uno ex 4. mensibus, quod durum est, & ejus juris pene totaliter extinctivum; dum partia reputantur non habere; & habere, & frui non posse. *Lott. n. 59.* Et inde gravia scandala, dum laici vident à se auferri sine sua culpa, quod

quod multis sudoribus & sumptibus acquisiverunt. Lott. n. 58. Sed neque dici potest, non esse huiusmodi privilegium jurispatronatûs (et si ei, ut solet, perpetuo inferatur decretum, ne adversus concessum patronatum ullæ prævaleant reservationes) sic interpretandum, ut obster potestati principis, qui semper maiorem potestatem reservare sibi censetur. Nam hic non quæritur de potestate, sed de voluntate principis, qui ipse, et si absolute id revocare possit, aut alterare vel differre, minimè tamen ea voluntas præsumitur, ut Surd. *conf.* 19. n. 50. Et certè cum per dictam concessionem privilegiato jus quæsitum sit, minimè in dubio censetur hoc revocatum velle; cum nusquam illa sit admittenda interpretatio, per quam quis censetur tollere, quod semel concessit. Lott. n. 49. & 53. Quin & successor, dum expressè non revocat, quod concessit ejus præcessor, videtur in eadem opinione & voluntate perseverare; nec dicitur tunc obstringi decreto sui præcessoris, sed suâ propria voluntate, Lott. *cit. num.* 53. juxta Gemin. *in c. 1. de præbend. in c. 1. n. 14.*

2. De cetero clausula adjecta derogatoria in regula mensium revocatoria tollit omnia alia privilegia, & jura præsentia per eos, qui sibi vendicant aut solidam collationem, aut præsentationem ex privilegio apostolico, aliòve jure singulari, exceptis his, de quibus in regula. Et hæc, etiã si privilegia dicta essent cum clausula derogatoria derogationum, etiã ad futuras regulas, qualia plures, præcipuè religiosi (qui non prohibentur habere beneficia, quæ aliis conferant in titulum perpetuum) consueverunt obtinere præservativa à reservationibus apostolicis & amplissimis clausulis, quæ tamen omnia per hanc clausulam derogatoriam contentam in regula mensium censentur abrogata. Lott. *l. 2. q. 38. n. 32.* juxta decis. Ro. & 578. n. 2. p. 1. recent.

Questio 119. An, & qualiter de facto censetur derogatum juri patronatûs per collationem beneficii factam à Papa?

1. **R**espondeo primò: dum pontifex confert alicui beneficium jurispatronatûs laicalis, acquisiti de jure communi, hoc est ex fundatione, dotatione, non censetur rata esse collatio, & pro ista vice derogatum jurispatronatûs; nisi id differet in literis per clausulam derogatoriam exprimat. Pirh. *h. t. n. 33.* Card. de Luca. *in sum. jurispatr. n. 10.* Less. *de just. l. 2. c. 34. n. 36.* juxta communem Doctorum *in c. 2. de præb. in c. 6.* nec sufficit, ut in literis collationis dicatur: *Conferimus Petro hoc beneficium, ad cuiuscunque præsentationem vel collationem pertineat*, sed expressè debet derogare patronatui laico, addendo v. g. *ad cuiuscunque præsentationem, etiam laici, pertineat.* Castrop. *loc. cit. n. 4.* Less. *loc. cit.* ex Covar. *qq. præc. c. 36. n. 2.* Derogatio enim hæc, utpote odiosa stricte est interpretanda, ut, quantum fieri potest, minimum lædat; cum ergo dicta clausula generalis derogatoria intelligi possit de solo patrono Ecclesiastico, ita ut sensus sit ad cuiuscunque, sive Episcopi, sive eo inferioris, sive collegii, sive Universitatis præsentationem pertineat, non est extendenda ad patronum laicum. Castrop. *loc. cit.* Quin & si præsentatio spectet ad Regem, Ducem, Marchionem, debet id ipsum exprimi juxta reg. Cancell. 43. horum enim jus fortius est; utpote qui bene meriti sunt de Ecclesia; ac proinde sub nomine illo generali laici non comprehenduntur. Less. Castrop. *l. cit. & apud hunc Azor. p. 2. l. 6. c. 23. q. 3.* Idem est;

dum juspatronatûs laical. quæsitum est ex augmento dotationis, et si enim hoc juspatronatûs sit ex privilegio, & de jurepatr. quod constat, seu habetur ex privilegio, opus non sit fieri mentionem in literis collationis; id tamen solum locum habet in casu meri privilegii, & secus in casu privilegii ex causâ onerosâ. Lott. *cit. q. 8. n. 50. & 51.* citans Mohedam *de jurepatronatûs decis. 11.* Et hæc procedunt de patrono laico, qui bonâ fide patronatum possidet, et si verè patronus non sit; quia dum est in possessione, jus habet quæsitum præsentationis; fructibus enim & commoditatibus rei alienæ fruitor possessor bonæ fidei. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *ubi antè. q. 6. Vafq. opusc. de beneficiis. c. 2. §. 1. dub. 11. n. 28.*

2. Secundo similiter, si beneficium est jurispatronatûs mixti, non censetur ei derogatum per clausulam generalem sine expressâ & speciali clausula, seu speciali mentione factâ patronatûs laicalis, perinde ac si esset patronatus purè laicalis. Pirh. *n. 134.* Less. *loc. cit. n. 40.* Covar. *loc. cit. n. 4.* Castrop. *loc. cit. n. 6.* citans Azor. *ubi antè. c. 26. q. 5.* Vafq. *dub. 9. num. 24.* Gonz. *gl. 2. à n. 12. contra Staphil. de literis gratia. tit. de modo & form. impetrandi. §. sed dubium n. 3.* & c. ed quòd par non sit, ut laicus ratione socii Ecclesiastici incommodum in re seu jure individuo patiat, manente eadem ratione, ne laici à fundatione Ecclesiarum hæc ratione avocentur. Less. *loc. cit.* Et licet istiusmodi patronatus mixtus quò ad commodatâ & privilegia Ecclesiasticus censetur, quò ad damna verò, onera & pœnas, & consequenter quò ad derogationes & reservationes perinde habeatur ac patronatus merè laicalis; Pirh. *loc. cit.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 23. q. 5.* Contrarium tamen dicendum, ubi Ecclesiastici sunt plures, v. g. tres & laici duo, tenent Azor. Vafq. Gonz. apud Castrop. *n. 7.* Less. *loc. cit. n. 41.* ubi etiam, quòd si patronatus spectet ad plures merè laicos, non sit rata derogatio, nisi major eorum pars consentiat: verum nec in hoc casu, etiam dum unus esset patronus laicus, & ceteri omnes Ecclesiastici, censeri derogatum esse patronatui per dictam clausulam generalem, probabilius tenet Pirh. *n. 137.* citans pro hac Fagnan. *in c. cum propter. h. tit. n. 26. & seq.* ed quòd, an patronatus talis mixtus hic & nunc censeri debeat Ecclesiasticus, an laicalis; attendendum sit, quænam qualitas in eo casu, de quo quæritur, sit magis favorabilis patronatui, & secundum illam judicandum esse Ecclesiasticum vel laicalem; & sic v. g. censetur laicalis, dum v. g. tres patronorum sint Ecclesiastici, & unus laicus quò ad effectum derogationis. Econtra dum tres patroni sunt laici, & unus Ecclesiasticus, censetur Ecclesiasticus quò ad semestre datum ad præsentandum, cujus (nimirum quòd in patronatu mixto prævaleat conditio hic & nunc magis favorabilis) hanc dat rationem; quòd, dum non privilegiatus concurrat in materia individua cum privilegiato, ille utitur privilegio istius, quòd ipsum pluribus exemplis ostendit.

3. Tertio: dum beneficium est jurispatronatûs meri Ecclesiastici, sive id competat jure speciali, sive etiam jure communi, cadit illud sub reservationibus apostolicis & affectionibus generalibus, & huic jurispatronatûs per specialem provisionem derogatum censetur, quamvis nulla ejus mentio fiat in dicta provisione, sed literis collationis. Castrop. *loc. cit. n. 5.* Card. de Luca. *in sum. jurispatr. n. 8.* Utitur enim Papa in hoc jure suo, & nemini præjudicat; nam cum omnium bonorum ac jurium Ecclesiasticorum sit supremus moderator ac arbiter; cujus vice

vice inferiores prælati aliæque personæ Ecclesiasticæ talia jura exercent; conqueri non potest minister, quod dominus faciat per se ipsum id, quod aliàs commissum est ministro. C. Luca. loc. cit. Ac proinde per solam simplicem collationem beneficii factam à Papa sciente, tale beneficium ad patronos Ecclesiasticos pertinere, derogatur tali juspatronatûs. Castrop. loc. cit. num. 5. citans Azor ubi antè, q. 2. & Vasq. dub. 8. num. 22. Estque etiam ratio disparitatis hac in parte inter patronatum Ecclesiasticum & laicum; quod, cum Papa plus juris habeat in bona Ecclesiastica, quam in bona secularium seu laicorum, æquum est, ut facilius derogare censeatur patronatibus, qui ex bonis Ecclesiasticis, quam qui ex bonis secularibus & laicorum patrimonialibus originem duxerunt.

4. Quartò: si ex mero privilegio, aut etiam ex vi consuetudinis, & solius præscriptionis competit etiam laico absque eo, quod constet à laico fundatum (vel etiam, ut Card. de Luca. num. 9. absque eo, quod præscriptio sit talis, ut titulus veræ foundationis allegari possit, qualis est immemorialis) censetur etiam ei derogatum absque expressa clausula derogatoria inserta collationi. Card. de Luca loc. cit. num. 42. Lott. sup. q. 8. num. 50. Azor. Vasq; apud Castrop. loc. cit. num. 8. ad minimum, ut Pirh. num. 134. per clausulam generalem v. g. hanc: *ad cujuscunque patroni præsentationem beneficium pertineat*, eò quod tum cessat ratio, ob quam aliàs à similibus reservationibus præferantur patronatus laici; quia nimirum laici nihil ad illas Ecclesias seu beneficia de suis bonis contulerunt.

Questio 120. Quibus modis extinguatur juspatronatûs?

1. **R**espondeo sequentibus: primò: per liberam cessionem alteri factam, vel per remissionem hujus juris, juxta c. 1. h. tit. potest enim patronus fundator, ejusque hæres successor (secus est de successore in juspatronatûs gentilitio) pro arbitratu suo renunciare juripatronatûs, & collationem Ecclesiæ vel beneficii liberam efficere; quia in hoc casu proprio juri renuntiat, & talis renuntiatio cedit in favorem Ecclesiæ. Laym. Theol. moral. l. 4. tr. 2. c. 13. num. 14. & ex eo Pirh. num. 138. Adde, quod etiam non cedat in præjudicium alterius vocati, uti fieret in patronatu gentilitio. sic etiam juspatronatûs omnino extinguitur, fitque beneficium liberæ collationis; dum in ipsam Ecclesiam seu capellam patronatam transmittitur jure hæreditario aut alio quodam titulo. Lott. l. 2. q. 14. num. 15. Iuxta decis. Rotæ. 726. num. 2. p. 2. Recent. jus namque patronatûs causam perpetuam durationis habet ex translatione de persona in personam, nisi ea transductio impediatur, uti fit in dicto casu, & uti etiam quandoque lex impedit talem transitum ob crimen v. g. in odium illius, in quem transire deberet. Lott. ibidem num. 26.

2. Secundò extinguitur extinctâ familiâ fundatoris, si juspatronatûs est gentilitium, seu institutum pro illis, qui sunt de familia seu agnati fundatoris; Barb. juris. Eccles. l. 3. c. 12. n. 258. Pirh. loc. cit.

3. Tertio: si Ecclesia patronatui obnoxia penitus destruat sine spe reedificationis; Barb. loc. cit. num. 154. Pirh. loc. cit. citans Zoëf. h. t. idem est, dum reditus beneficii omnino tolluntur, quia tunc destruantur ipsa subiecta beneficii, & rei non existentis nullæ sunt qualitates. Pirh. & Barb. loc. cit.

Lott. num. 12. loc. cit. Ita ut nisi ab eodem restituantur, & redoretur, juspatronatûs nunquam ad eum redeat. Barbos. citans Roch. V. construxit. q. 8. num. 12. Vivian. in praxi juspatronatus. l. 15. c. 1. num. 3. Secus est, ubi dos solum imminuitur; cum diminutio dotis fundatori nusquam impuretur. Lott. num. 13. juxta decis. Rotæ 521. num. 2. p. 2. recent. Sed neque extinguitur juspatronatûs, dum eadem dos applicaretur pro dote alterius beneficii vel dignitatis aut canonicatûs; licet enim extinguatur ipsum beneficium per unionem vel suppressionem, jus tamen patronatûs non extinguitur, sed transfertur ad beneficium, cui ea applicatio fit. Lott. loc. cit. num. 14. citans Seraph. decis. 1444. num. 11. & Rotam in una Lancian. Archiepiscopiteratûs 2. Maij. 1616. quidquid sit, ut ibidem Lott. si fieret pro dote prælati Ecclesiæ cathedralis refragante textu c. nobis. h. tit.

4. Quartò: nihilominus extingueretur juspatronatûs, si patronus absque reservatione juspatronatûs permitteret, seu consentiret ecclesiam seu beneficium patronatum conferri vel uniri monasterio. Laym. in c. sicut. de suppl. negl. prælat. num. 4. Item in c. ad hæc de offic. vicarij. num. 3. Pirh. nu. 138. citans Zoëf. h. tit. num. 5. Barb. num. 155. citans c. nobis. h. tit. & gl. 161. V. capella. & Massobr. in præhabendi concurs. prælat. 7. dub. 5. num. 5. Vivian. de jurepat. l. 15. c. 1. num. 12. Idem est juxta hos AA. si absque reservatione juspatronatûs pateretur Ecclesiam patronatam converti in Collegiatam; secus videtur, si patrono invito vel præterito fieret dicta mutatio, argumento c. Monasterium. & c. seq. 16. q. 7. ubi dicitur, quod Episcopus non possit auferre Ecclesiam à dispositione patroni eo invito, adeoque sicut invito patrono non potest auferri jus præsentandi, ita nec indirectè, convertendo Ecclesiam patronatam in Collegiatam. Pirh. h. tit. num. 35. Si tamen ob aliquam necessitatem talis Ecclesia convertatur in Collegiatam, ita ut patronus, etsi vellet, non posset contradicere; quia non potest impedire majus bonum Ecclesiæ, hoc casu non tantum ad canonicatûs & beneficia simplicia, sed etiam ad prælatam in eadem Ecclesia patronus retinebit jus præsentandi. Pirh. ibidem. Card. Luca. in sum. jurispatro. num. 136. nisi tamen, ut Pirh. tempore foundationis vel postea consenserit, ut fieret ecclesia collegiata sine protestatione, seu reservatione juris sui; tunc enim electio prælati seu Rectoris spectabit ad collegium clericorum: proceditq; id ipsum, ut rectè notat C. Luca. loc. cit. tantum respectu canonicarum & beneficiorum, quæ ex ipsius Ecclesiæ antiquæ patronatæ dote & redditibus erecta sunt, excepto Episcopo seu majore prælato, cujus mensæ bona Ecclesiæ patronatæ applicata sint, nisi aliter in ipsa erectione ex apostolica auctoritate cautum sit; ut quandoque præsertim in Ecclesiis de regio patronatu, praxis docet.

5. Quintò: amittitur patronatus, si ipse in fiscum redigatur, sive facta sit confiscatio omnium bonorum & jurium per judicem ecclesiasticum, sive generalis confiscatio per judicem laicum, & specialis per Ecclesiam. Lott. cit. q. 14. num. 21. citans Imol. in Clem. pastoralis. num. 71. de sentent. & rejudic. & Rotam decis. 53. num. 5. p. 1. recent. In quo casu si patronatus est gentilitius, pergit durare si quis superfit de gente. Lott. ibid. num. 22. ita enim confiscatio tunc non præjudicat filiis, aliisve consanguineis, qui tunc non dicuntur habere patronatum à patre, qui deliquit, sed à genere, & majoribus. Lott. num. 23. citans Molin. de primogen. l. 5. c. 11.

6. *ii. nu. 2. &c.* atque *num. 24.* id procedere etiam in crimine læsæ majestatis. Porrò dum confiscatio fit tantum à iudice laico, & juspatronatûs est annexum castro confiscato, transit in fiscum laicum. *Lott. num. 26.* juxta decis. *Rotæ.* Si verò cesserit hujusmodi annexio, adeoque & necessitas transitûs vi annexi, non transit in fiscum laicum, *Lott. num. 28. & 29.* citans *Cardin. in Clem. plures. num. 8. gl. & Imol. in Clem. pastoralis. Roch. &c.* sed ubi delictum, ob quod facta confiscatio, commissum est in Ecclesiam, rectè juspatronatûs applicatur Ecclesiæ, etiam in præjudicium vocatorum; adeoque prorsus extinguitur, & Ecclesiæ acquiritur statum libertatis facta tamen declaratione ipsius delicti per Ecclesiam. *Lott. n. 30.* juxta *Imol. loc. cit. num. 71.* si autem delictum non est commissum in Ecclesiam, juspatronatûs non applicabitur Ecclesiæ, sed pertinet ad vocatos. *Lott. num. 31.* ita tamen, ut dum vivit delinquens, si scus admitti possit ad præsentandum pro ipso, non in præjudicium Ecclesiæ, sed vocatorum. *Lott. n. 32.* citans *Peregrin. de jurep. l. 5. tit. i. n. 42. Roch. v. ipse velis. n. 68.* delinquente verò defuncto, redeat juspatronatûs ad vocatos, & si nullus eorum existeret, Ecclesia evaderet libera. *Lott. n. 33.* citans *Archid. in c. considerandum. 16. q. 7. n. 1.* quod nisi fieret, sequerentur duo maxime absurda; & quòd Ecclesiæ præcluderetur spes libertatis. *Lott. num. 34.* juxta *Card. in. in cit. Clem. plures.* Et quòd ipsa canonizaret sententiam laici in puncto privationis juris à se ipsa concessi, & in quo ideo prorsus deficiebat potestas laici. *Lott. citans Barbat. in c. quanto. de judic. num. 17.* Vide de hoc plura supra, ubi de translatione juspatronatûs.

6. Sextò per præscriptionem; licet enim ex sola negligentia in non præsentando juspatronatûs de jure communi competens non amittatur, tamen ubi datur formalis præscriptio contrarii statûs nempe libertatis; dum nimirum apparent collationes factæ tanquam de beneficio libero, sciente & patiente patrono, *Lott. loc. cit. num. 36.* juxta decis. *Rot. 615. num. 1. p. 1. Recent.* sufficit autem tempus quadragenarium, *Lott. num. 39.* juxta *c. cum de beneficio. de præbendis in 6. & decis. Rotæ in Salernitan. Recloria. 22. Martii. 1591.* Porrò remanet hæc præscriptionis deductio, si provisiones fuerint apostolicæ. *Lott. num. 40.* *Rota. decis. 77. na. 4. p. 1. Recent.* item si appareret, patronum percepisse alios fructus juris patronatûs vel in exhibitione honorificentia, vel in usufructu alimentorum. *Lott. num. 41.* citans *Mohed. de jurepat. decis. 19. num. 4.* De cetero hic notandum, quòd ait de Luca in *sum. jurispat. num. 133.* in hac præscriptione attendenda principaliter persona negligentis, contra quam præscriptum esse prætenditur, an scilicet sit talis, ut jus suum remittere, vel alienare possit in præjudicium successorum, vel contrà, ita ut in primo casu non procedant termini aliàs generales in præscriptione adimite jus, si habeat omnia requisita; secus in secundo casu; qui enim alienare non potest, minus pati potest præscriptionem, quæ proinde inducitur contra prædecessorem non præjudicat successori venienti independenter ab eo ex propria persona, seu jure suo, tum ex dicta ratione; tum etiam ex eo, quòd non valenti agere non currat præscriptio; adeoque ut aliqui credant, quòd etsi centenaria concurrat, ea successoribus in gentilitio præjudicare nequeat. Quòd tamen circumspèctè intelligendum, ait de Luca; quatenus nimirum conflet de initio infecto, quòd possessor non alium al-

leger titulum, nisi illum, quem sibi tribuit præscriptio ex sola dispositione legis, ita ad tollendam incertitudinem dominiorum diuturnam negligentiam punientis; secus autem ubi allegaretur aliquis legitimus titulus, quem centenarius possessor justificare non tenetur; quia potest allegare quemcumque optimum. Porrò, ut pergit *Card. de Luca:* etsi hæc non tantum procedant, dum compatronus contra compatronum præscriptionem prætendit; verum etiam, dum ea allegatur per Ordinarium, vel alium de beneficii libertate contententem, seu allegantem illam ex parte Ecclesiæ. In tantum verò hic casus patitur majorem difficultatem, ad inducendam præscriptionem; quia actus collativi facti per superiorem, præsertim Papam, solent esse æquivoci, utpote ad devolutionem vel derogationem pro ista vice referibiles, ubi præsertim essent ex causa resignationis vel permutationis; ideòque constare debet de animo prævendi. Eodem modo aliàs dictum de præscriptione patroni contra compatronum, cujus non præsentantis jus, non constro de dicto animo, potius à præsentatione compatroni conservatur. In tantum verò minorem patitur difficultatem, quia minus rigorosè justificanda aliàs ad præscriptionem requisita; cum non agatur de præscriptione odiosa continente quandam speciem punitionis negligentia, sed de favorabili, per quam Ecclesia suæ naturali libertati restituatur; ac etiam, quia ea potius continere videtur remissionem: ita ille.

7. Septimò: amittitur juspatronatûs, dum patronus labitur in hæresin. *Lott. citata q. 14. nu. 18.* *Barbos. loc. cit. num. 260.* *Pirh. num. 238.* Quippe ex hoc crimine non tantum redditur incapax juspatronatûs sed si quod prius habebat, amittit; etiam si ipse fuisset dorator, quia ob enormitatem sceleris lex illum fingit incapacem usque ab initio. *Lott. ibidem.* citans *Lamb. l. 3. q. 8. a. 1. num. 4. & Rotam decis. 6. num. 2. p. 3. Recent.* Idem est, dum patronus transfuisset juspatronatûs in infectum hæresi, *Lott. ibidem.* Item de schismaticis & Apostatis & receptoribus, & defensoribus, seu fautoribus hæreticorum. *Barb. & Pirh. l. cit.* Item de infordescensibus in excommunicatione majore per annum; quando censentur ut hæretici juxta *Mareschot. Var. resol. l. 1. c. 83. num. 13. & 14.* *Monet. de commut. ult. volunt. c. 11. num. 158.* *Vivian. l. 15. c. 6. num. 6.* apud *Barb. cit. num. 160.* Porrò abjuratà hæresi illud recuperat. *Archid. & Bellamer. in c. decernimus. 16. q. 7.* apud *Lott. n. 81.* Id tamen solum intelligendum, si restituatur in integrum; nisi enim restitueretur, ex sola abjuratone non recuperaret juspatronatûs, excepto casu, quo in specie non fuisset lata sententia super ipso privationis. *Lott. ibid. & num. 20.* juxta *Gl. in c. maximum. V. dignitate. l. 9. 6.*

8. Octavò: per occasionem vel mutilationem Rectoris vel alterius Clerici ipsius Ecclesiæ jure ipso privatur patronus patronatu, devolviturque is ad Ecclesiam, cui facta injuria. *Pirh. loc. cit. num. 138.* *Barb. num. 159.* citans *Vivian. l. 15. c. 2. n. 9.* juxta *c. quibusdam. & Caput. ad aures de pœnis.*

9. Nonò: per simoniam commissam in ejus cessione, donatione, venditione, (v. g. dum venditur æquè principaliter cum universitate. *Corrad. l. 4. c. 5. num. 47.*) non solum translatio juspatronatûs impeditur. *c. de jure. & c. præterea. h. v. Lott. num. 16.* citans *Abb. in c. veniens. de restit. n. 1.* *Roch. de jurepatronatûs. v. & utili.* verum etiam

amittitur. *c. quia Clerici, h. tit.* Card. de Luca, in *summ. juris patron. num. 135.* Lott. *num. 17.* citans Paul. de *Citad. de jurepatr. p. 9. num. 11.* Roch. *v. ipse, v. is. num. 54.* Pirh. *cit. num. 138.* eo privandum ait.

10. Decimò : jure novo Trid. *sess. 22. c. 11.* per hoc, quòd patronus se ingerat in perceptionem fructuum beneficii patronati, aut ipsius bona usurpavit, ipso jure privatur patronatu, & incurrit excommunicationem reservatam. Card. de Luca *cit. num. 135.* Barb. *num. 162.* citans Vivian. *cit. l. 15. c. 2. num. 13.* Franc. Leon. in *thes. fori Eccles. p. 2. c. 21. num. 31.* semper tamen cum hac limitatione (quod observandum circa casum subsequenter, & plures ex antecedentibus, nimirum quintum, sextum, septimum, octavum, nonum; ut bene monet Card. de Luca. *loc. cit. num. 134. & 135.*) ut patronatus amittatur in præjudicium tantum hæredum, & successorum; quibus ipse delinquens præjudicare potest; non verò venientium independentem & jure suo; in quorum præjudicium expressam alienationem, vel remissionem facere non possit.

11. Undecimò per hoc, quòd patronus ingratius sit Ecclesiæ, juxta Surdum *de aliment. tit. 7. q. 32. num. 9. & q. 38. num. 2.* Vivian. *loc. cit. n. 4.* apud Barb. *num. 261.*

12. Denique amittitur, & Ecclesia evadit libera per non usum longissimi, vel etiam longi temporis; dum nimirum patronus, cessante impedimento, nullum rectorem præsentavit ad Ecclesiam

vacantem; & interea, saltem duabus vicibus, rector fuit institutus sine præsentatione. Pirh. *loc. cit. ex Barb. num. 257.* Verum id intelligendum de jure patronatus competente ex mero privilegio, censet Lott. *sup. cit. num. 36.* citans Puteum *h. tit. decis. 7.* & Mohedam. *eodem tit. decis. 10.* Item *l. 2. q. 7. num. 22. & seq.* citans Felin. in *c. cum accessissent; de constitut. n. 2.* Decian. *vol. 2. conf. 2. n. 125.* & alios adductos per Surdum *cons. 419. n. 5.* Si verò est de jure communi, nunquam amitti per talem non usum, ait Lott. *cit. q. 5. n. 25.* ex Puteo. *decis. 369.* eò quòd facilius perdatur privilegium merum, quàm privilegium clausum in corpore juris; quòd reputatur jus commune, juxta *l. ejus militis, ff. de testam. milit.* quapropter etiam videtur potius hoc jus patronatus conservatum in præsumptâ voluntate conferentis beneficium. Lott. *ibidem. num. 26.* citans seipsum *l. 1. q. 34. n. 62.* ubi, quòd, si Episcopus contulerit beneficium non factâ mentione juris patronatus, non censetur mutatus status, nec interturbata possessio patroni; sumitur enim interpretatio, quòd contulerit, si patrono placuerit; & ita Veral. *decis. 189. num. 2. p. 3.* Porro notat Laym. in *c. sicut. de suppl. negl. praelat. in 6.* jus præsentandi amissum, vel potius devolutum ad superiorem, ob non factam præsentationem intra tempus, factâ unicâ collatione, etiam sine effectu, recuperari à Patrono; citatque pro hoc Azor.

* * *
* *

CAPUT SECUNDUM. DE PRÆSENTATIONE IPSA.

PARAGRAPHVS I.

De effectu & modo præsentationis faciendæ & admit- tendæ.

Quæstio 121. Quale jus præsentato conferat præsentatio?

1.



Espondeo primò: confert illi jus ad beneficium, ut dictum supra.

2.

Respondeo secundò: jus illud, quòd quæritur præsentato resolvitur in simplicissimam habilitatem personæ ad obtinendam

institutionem, Lott. *l. 2. q. 9. num. 20.* citans Azor. *p. 2. l. 6. c. 19. q. 2.* unde in effectu non censetur ei jus aliud quæsitum, quàm ut possit agere pro ipsâ institutione. Lott. *l. 2. q. 13. num. 14.* citans Abb. in *c. cum Berthol. num. 12. de sent. & rejudicac.* estque ante institutionem minimè perfectum; sed subiacet periculo, ne patronus variet accumulando. Lott. *ibid.* qui etiam *l. 2. q. 20. n. 33. & 35.* quòd licet præsentatus instans pro institutione non habeat adhuc jus in re perfectè quæsitum, sed tantum jus ad rem, & hinc petere non potest beneficium

tanquam suum, sed tanquam sibi debitum; nihilominus, dum jus illud ad rem profectur, dirigit actionem non in personam, ad qualem duntaxat is dirigit, qui habet nudum mandatum de providendo; sed etiam dirigit in rem; ut res ipsa, id est, beneficium sibi tradatur.

Quæstio 122. Quid requiratur, ut præsentatio tribuat ipsum jus?

1. **R**espondeo primò: debet à præsentato esse acceptata; seu præsentatus consensisse in præsentationem sui (intellige intra terminum concessum patrono ad præsentandum. Lott. *l. 2. q. 6. num. 38.*) Zerol. in *pr. Episc. p. 1. v. jus ad rem, n. 2.* citans Gomez. *q. 23. in reg. de triennali.* Garc. *p. 4. c. 3. num. 11.* citans Paris. *de resign. l. 2. q. 23. n. 12.* Roch. & C. Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 1. num. 7.* Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 2. num. 15.* Eò quòd hæc acceptatio facta à præsentato sit pars præsentationis, Garc. & reputetur unicus actus. Castrop. *Corrad. l. cit.* Nec sufficit scientia præsentati sine illius acceptatione. Corrad. *loc. cit.* citans Calent. *de jurepatr. conf. 9.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 15. num. 1.* Non tamen requiritur acceptatio ad partem; si nominatus sit præfens; quia cum se tunc præsentari ferat, intelligitur consentire & acceptare. Corrad. *loc. cit. num. 16.* citans Lap. *alleg. 8. circa med.* Cardin. in *c. fin. h. t.* Neque sufficit, dum præsentatur absens, Notarium, conficiendo instrumentum

pra.